

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Peter Adolf Boysen


**Dissertatio Critica Et Theologica De Codice Graeco N.T. Et Consilio, Quo Usus
Est B. Lutherus In Conficienda Interpretatione Germanica, Qua Nuperae ... M.
Tob. Eckhardi ... Coniecturae De Codice Gerbeliano Partim Illustrantur, Partim
Emendantur, Et Certiora, Ac Veriora Indicia Huius Causae Afferuntur**

Lipsiae: Strunz, 1723

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821386794>

Druck Freier  Zugang





Lc-1018.

F.C.-1018.

DISSERTATIO CRITICA
ET THEOLOGICA
DE
CODICE GRÆCO
N.T. ET CONSIGLIO
QVO
USUS EST B.LUTHERVS
IN CONFICIENDA INTER-
PRETATIONE GERMANICA,
QVA
NVPERÆ CL. VIRI
M. TOB. ECKHARDI.
GYMNAS. QVEDL. RECT.
CONIECTVRÆ DE CODICE
GERBELIANO
PARTIM ILLVSTRANTVR, PARTIM
EMENDANTVR,
ET
CERTIORA, AC VERIORA INDICIA HVJVS
CAVSÆ AFFERVNTVR

PETRO ADOLPHO BOYSEN.

LIPSIAE,

(1723).

ESTATE LIBRÆ STANZÆ DELICATÆ 1723.

V I R O
SUMME REVERENDO, ET DOCTISSIMO
D O M I N O
**D. JOAN. MELCH.
GOEZIO,**
SACRI, REGIQUE TRIBUNALIS
IN PROVINCIA HALBERSTADIENSI CON-
SILIARIO GRAVISSIMO, ORATORI SACRO IN
ÆDE D. MARTINI APUD HALBERSTADIENSES,
FIDELIQUE ANIMARUM PASTORI, SCHOLÆ
MARTIN. INSPECTORI, VENER. MINISTERII
SENIORI ETC.

FAUTORI SUO MAXIMOPERE
HONORANDO,

S. P. D.

PETRUS ADOLPHUS BOYSEN.

QUAM hortatu & consilio TUO, Vir maxime reveren-
de, conscripsi Dissertationem de argumento nec inu-
tili, nec in jucundo, ut tuo potissimum honori dedi-
carem, multæ me, & graves causæ impulerunt. Nam
non modo tot officiis me TIBI devinxisti, ut acceptorum magni-
tudinem beneficiorum grata semper mente recolam, non mo-
do, quem benevolentia, amicitiaque TUA a primo in hanc ur-
be

X


ben

bem adventu meo dignum judicasti, cura & caritate paterna
constanter es complexus; sed etiam magna in me contulisti me-
rita, eo præcipue tempore, quo supremo Numini videbatur, ca-
rissimam ac optimam conjugem meam, *Margarethan Elisabe-*
tham Teuberiam, omnibus Iexus sui ornamenti præditam, in
qua rarissimam cum insigni animi probitate mixturam morum
venustis, & elegantia faciebat, acerbissima morte votis meis
præripere, & cœlitibus conjungere, cum & privatim animum,
mœrore perculsum, efficacissime erigeres, ac confirmares, &
publice in laudatione funebri, graviter, ornateque, ut soles, di-
cta, clarissima prolixæ TUÆ in me voluntatis dares indicia, imo,
ut testator esset humanitatis TUÆ memoria, tuo sumtu ean-
dem orationem evulgares. Quia benevolentia TUA, Fautor
optime, dici vix potest, quam recreatus, quam subrefectus sim
ex calamitatibus hisce domesticis, ut, quoties animum subit ea
cogitatio, tux amicitiæ recorder, & efficacissime admonear,
animum vicissim publice testari, non tam referendæ, quod sie-
ri a me nequit, quam habendæ gratiæ, memorem. Idque of-
ficium hac occasione præsto, partim, ne procrastinando eam
amittam, partim, quia præsens lucubratio ita comparata est, ut,
etsi ab ingenio, & doctrina nullam mereatur laudem, ipso ar-
gumento TE non injucunde alicubi possit morari. Is enim
TU es, Vir summe reverende, qui pro muneri amplissimi ra-
tione, & doctrinæ Theologicæ copia, ac ingenii ubertate, ver-
sionem Lutheri Germanicam quotidie verses, interpreteris, fa-
cta que cum fontibus collatione, concionem, DEO conjun-
ctam, doceas, quid DEUS ab hominibus credi, fierique velit.
Hinc non inutilis tibi videbitur labor, quicunque in primis in-
terpretationis hujus originibus exquirendis, explicandaque Co-
dicum

dicum Græcorum indeole, quibus usus est Lutherus, collocatur.
Ea enim temporum nostrorum infelicitas est, ut quotidie sur-
gant, qui honorem optimi interpretis lèdant, &, ubi nonnullam
dissensionem a Stephanio Codice, quem editiones recen-
tiores seqvuntur, deprehendunt, in suspicionem malæ fidei, &
turpis corruptelæ eum adducant. Quæ accusatio refutari com-
modissime potest, si *Aldina*, & *Frobenianæ* editiones, emenda-
tæ per orbem christianum religionis præcipua vel præsidia, vel
adjuventa, proferantur, & consilium aperiatur, quo in confi-
cienda interpretatione usus videtur b. Lutherus. Utrumque,
propositum mihi fuit, certis, indubioisque indiciis declarare, ex
quibus tota causa cognosci a judice perito facile potest. Cri-
ticæ artis rūdem, & veræ Theologiæ, quæ tota his literarum
fūleris nititur, imperitum judicem ejuramus & ego, & cl. V.
DN. M. TO B. ECKHARDVS, a quo dissensio, incolumi ami-
citia. Etsi enim a facie mihi ignotus sit cl. V. ex virtutibus
tamen, & amplissimis meritis dudum cognitus, & propter exi-
miā eruditionem magni habitus fuit. Cujus amicitiam, &
favorem Tu, Vir summe reverende, qui clarissimis Quedlin-
burgi necessitudinibus innexus es, mihi conciliare poteris, nisi
fortasse ipse cl. ECKHARDVS mea commendatione apud Te
indigeat, qui in *Programmate*, quo exequias DN. D. KETT-
NERI significavit, minus recte Tibi egisse visus est, & gra-
tiam, apud Te collectam, profudisse, quod controversiæ, du-
dum sepultæ, mentionem fecerit, hocque ipso signum sustu-
lerit, renovandi bellum superius, pace violata, cuius conditio-
nes convenisse videbantur, & pro Te rege serenissimo, cuius
voluntas suprema lex est, sententiam ferente, & b. KETTNE-
RO tandem quiescente. Etsi vero optarem, ut anteiqua se-
polita

*polta in memoriam hominum nunquam revocentur, si ad com-
munem utilitatem nihil afferant, arbitror tamen, ECKHAR-
DVM, historici munere perfungentem, non potuisse non memi-
nisse librorum, a b. KETTNERO sive bene, sive male scripto-
rum, ac proinde nec Tuo detrahere honori voluisse, nec ve-
terem amicitiam violare. Quod itaque proprium, & præci-
pium habes, ut humanissimus, ac svavisimus ab omnibus, qui-
bus pates, prædicere, & in isto honoris gradu, ad quem divina
voluntate productus es, moderationem animi, & æquabilita-
tem, raram in Tui similibus virtutem, serves, & tueare; ejus
bonitatis Tuæ fructus, fac, colligant cl. ECKHARDVS, & qui
cum eo Te colunt, & observant. Quod reliquum est, numini
pro meo in Teamore & studio supplico, ut Te omnibus di-
vinæ benedictionis copiis augeat, & locupletet, consilia, quæ-
cunque de provehendis commodiis gregis, fidei tuæ com-
misisti, & quem CHRISTUS sanguine suo redemit, suscipis, fe-
liciter evenire, Teque secundo vitæ sine ulla offensione cur-
su, si id quidem per sapientiæ divinæ, Tuæque majoris utili-
tatis rationes fieri potest, diu rebus humanis superstitem esse,
jubeat. Ita vale, ac me amare perge. Dat. Halberstad.
ipsiis Eid. Septembr. A.R.S. MDCCXXII.*

D.B.]



D. B. J.

§. I.



T literis sacris mirifice delector, & avidissime tales libros appeto, atque exposco, qui & humanissimi sunt, & argumenta divina docte, & prudenter explicant; ita pergratum mihi accidit, cum nuper in *Conjecturas Cl. V. DN. M. TOB. ECKHARDI*

inciderem, quas de Codice Gerbeliano fecerat. Placuit institutum, studiumque, bene de orbe Christiano merendi, placuit elegans, tersumque dicendi genus, nec diligentia doctissimi Viri displicuit, in primis vero ea mens, quam DN. ECKHARDO gratulandam censeo, laude, & communi bonorum gratulatione digna mihi visa est, ubi p. 35. §. 13. profitetur, se ægre non ferre, *meliora si edoceatur, & in rectam reducatur viam.* Ita enim res hominum comparatae sunt, ut veniam dare aliis, & vicissim rogare, necesse habeant, ita etiam animus ECKHARDI similium, i. e. doctorum virorum, informatus est, ut, quo magis literis affluunt, eo humaniores esse soleant, &, quo præclarius de republica promerentur, eo majori studio ani-

mi sui naturam a vano ad rectum revocent. Qua ex re sola Cl. conjectoris humanitate adductus, animum ad scribendum appuli, causæ etiam bonitate fretus, & ne quid dissimulem, argumenti invitatus dignitate, ex quo ad communem utilitatem multum afferri posse, semper judicavi. Vindicatur enim honor D. LUTHERI, Theologi, in tantum laudandi, in quantum virtus concipi potest, & disciplina divinior intelligi, interpretis, ea fide in interpretatione sua usi, quæ virum bonum decebat, iis denique ingenii, judicii, doctrinæque præsidiis instructi, quæ in optimo interprete inesse debent, defenditur etiam præstantissima LUTHERI versio a furoribus EMSERI, & DIETEMBERGERI, a cavillationibus REITZII, & TRILLERI, & a ducitate ~~et~~ reliquorum, ubique D. LUTHERO detrahentium, & id agentium, ut b. vir vel imperitiæ suspectus fiat, vel in suspicionem malæ fidei adducatur.

§. II.

Horum conatibus obviam felicissime iri potest, si LUTHERI calumniatores ad eos remittantur codices, easque ablegentur editiones, quarum fide, & auctoritate nixus, alter convertit, atque in editis vulgo legitur. Quæ res B. JO. SAUBERTUM permovit, ut hoc armatura genere in *Variis Lectionibus S. Matthæi*, RICH. SIMONIO in *Biblioth. Crit. T. III. c. 29.* & *Histol. Crit. N. T. c. XXIX.* maximopere probatis, eruditissimo vero Millio, quantam etiam in exquirendis illis adhibuerit diligentiam, ne visis quidem, a quo etiam per errorem SALBERTUS vocatur in *Prolegom. N. T. §. 1405.* EMSERUM premeret, & urgebet, in lectu dignissima *Epicrisi*, operi præmissa, p. 23-39.

Idem

Idem postea tentavit B. KORTHOLTUS de *Var. Bibl.*
edit. c. XIII. Idem opere ipso contra Grotium feliciter, nec
 sine singulari lectorum utilitate, à *nāv* CALOVIUS in
Bibliis illustratis perfecit. Huc etiam in primis spectavit
 B. DIECMANNI, & PRETTENII utilisimus, & optimo
 cuique gratus, labor, quorum utinam doctæ præfationes
 seorsim recuderentur, & cum aliis aliorum Theologorum
 præfationibus Biblicis, docte, & pie scriptis, justo exhi-
 berentur volumine, quod MILLII & MASTRICHTII
Prolegomena in N. T. quibus nihil doctius, & nitidius vi-
 dit Belgium, & Anglia, continere simul posset. Nec du-
 bito, quin Vir rev. & cl. M. KRAFFTIIUS in sua, quam
 molitur, *Versionis Bibliorum Germanicae* historia locum
 hunc digne sit persecuturus, si enim ex ungue leonem, sa-
 ne ex editis aliquot doctrinæ speciminibus prolixe licet
 sperare, fore, ut excitatam de semet expectationem non su-
 stinere modo possit, sed vincere etiam & superare. Eo-
 dem consilio in evulgandis *conjecturis* usus videtur DN.
 ECKHARDUS, ut versionem Germanicam N. T. cum
 exemplari GERBELIANO componeret, factaque diligen-
 ti collatione, doceret, quæ editio Græca b. Viro ad manus
 fuerit, cum ad versionem conficiendam accederet. Insti-
 tutum profecto laude sua dignum! si enim, judice JO. ALB.
 FABRICIO, Hamburgi non modo, sed Germaniae etiam
 totius ornamento, is præter alios *variarum lectionum*
 (quæ etiam ex MSC. pariter codicibus, ac editis primis,
 FROBENIANIS, ALDINA, STEPHANIANIS, BRY-
 LINGERIANA, &c. colligi possunt) *usus est*, ut ratio-
 nes, quibus interpretes sacrorum plerique, sive vete-

res, sive recentes, passim usi sunt, intelligamus, ad eos vel tuendos, aut excusandos, vel explicandos, vel denique redarguendos. Biblioth. Græcæ L. IV. c. 5. præclare de LUTHERI interpretatione merentur, qui veros indicent fontes, ex quibus rivulos suos megalander sit consecutatus.

§. III.

In ea igitur versatur opinione cl. E. editione, a Nic. Gerbelio procurata, in interpretatione sua conficienda L. esse usum, quam conjecturam primus, ni fallor, fecit, ad quam quomodo traductus sit, tum judicio amici, DN. M. OLEARII, *Ecclesiast.* Magdeburgensis, tum locis permultis inter se collatis, tum ratione non improbabili, ipse p. 7. 17. seq. 27. seq. profitetur. Quo minus sententiam hanc certam, veram, indubiam, judicare possim, eadem fere rationes faciunt, quibus impulsus Cl. A. videtur, verum, ne in *λογομαχίᾳ* inanem tota convertatur disputatio, non modo largior, B. LUTHERO lectam sine dubio, visamque hanc GERBELII editionem fuisse, qui, dubium non est, quin pro suo in LUTHERUM studio ei exemplar, velut specimen virtutis, indiciumque animi sui obtulerit, sed ultro etiam affirmo, raram esse Hagenoensem illam editionem, & primis illis quatuor ultimo loco accessisse, (Complutensem enim, regium illud opus excipi oportere, satis notum est,) quæ MSC. interdum Codd. dignitate, fide, pretio pares sunt, & a peritis habentur. Nec tamen nulla est inter nos dissensio, quæ his fere constat partibus: I. Hagenoensem esse expressam ad FROBENIANAS, quia GERBELIUS non MSC. Codices, quibus caruisse videtur, sed ERASMUM sequitur, esse tamen FROBENIANIS corruptiorem, & auctoritatem

ctoritate inferiorem. II. LUTHERUM, suo judicio in confienda interpretatione usum, ERASMO multum, ut parerat, tribuisse, ejusque legisse vestigia, nisi ubi meliora impressa essent a *vulgato* interprete, aut patribus latinis, quibus familiariter usus fuerat. III. Dicta omnia, quæ plena manu attulit doctissimus E. quibusque vel cum GERBELIANO codice consentit nostra versio, vel ab eodem abit, rectius ex FROBENIANIS editionibus illustrari posse, quam Hagenoensi. Hos itaque dissensionum locos persequemur, iisque alia interpretamenta admiscebimus, ad præsentem quæstionem pertinentia. Ante vero, quam id fiat, de NIC. GERBELIO, JCto, cuius vita ex ADAMIO, & JO. HENR. MAJI *vita Reuchlini* enarratur p. 13. moneno, JO. CAMERARIUM in *vita Melanchthonis*, FRI-
SIUM in *epit. Biblioth. Gesnerianæ*, COLOMESIUM
Op. p. 429. B. FECHTIUM in *Apparatu ad Suppl.*
Hist. Eccles. p. 174. de vita, & scriptis doctissimi hominis copiose exponere. Nec conjecturæ fallaces sunt, sed constans, & certa veritas, ubi Cl. A. p. 28. de amicitia refert, quæ Gerbelio cum LUTHERO intercessit. Si quis enim respcionem LVTHERI ad epistolas, a SECKENDORFIO conservatas, & l. c. a DN. E. transcriptas, legere velit, is Part. VIII. Num. XXX. *Epistolarum Theologicarum* p. 840. adeat, velim, ex qua in gratiam lectoris, resectis nonnullis, reliqua hic exscribam:

*ERUDITIONE ET PIETATE INSIGNI
VIRO, N. GERBELLIO, JCto,
FIDELISSIMO SUO IN CHRISTO
AMICO.*

S. in

S. in Ch. literæ tuæ ad me datæ, Gerbelli svavissime, vigilia Pentecostes, 1) redditæ mihi demum sunt ad Michaelis festum, & has ego do ad te, hodie omnium sanctorum die, 2) nescio ad te quando perventuras, ad aliam forte Pentecosten, aut ad Calendas Græcas. Vides causam silentii mei? fortunæ scilicet, hoc est, arcanae DEI voluntati id tribues. Cæterum quod tam anxie & amice de rerum mearum statu perquiris, arbitror interim ex aliis Te cognovisse. Cesisti publico, amicis svadentibus obsequutus, tum invitatus, tum incertus, a DEO gratum facerem. 3) Ego quidem arbitrabar, cœticem 4) esse objectandam publico furori. Sed illis aliud visum, quorum consilio adornati equites 5) simulatis insidiis 6) me ceperunt, in itinere, & in locum tutum, 7) quo nunc humanissime tractor, 8) posuerunt. Sed mille credas me Sathanibus objectum in hac otiosa solitudine. -- Sæpius ego cedo, sed sustentat me rursus dextera excelsi. Quo nomine & publicum de-

nmo

1) d. XXVI. Maii 1521. 2) d. i. Novembr. 3) vel inde constare poterat, ante Lutherum certiore m de toto hoc negotio esse a Friderico factum, quam captivus abduceretur. 4) Ita enim scripserat Gerbellius: *constans fama est, te occisum, et iam adato in cervicem tuam gladio.* 5) Hans von Berlepsch & Burckhard Hund von Wenchheim usf Altenstein cum servis nonnullis. 6) d. 4. Maii 1521. 7) in arcem Wartburgensem juxta Ilenacum. 8) vid. præter Seckendorffium Schlegelius in *vita Spalatini* p. 45. Pfefferkorn in Thüringischen Merkwürdigkeiten p. 349. seq.

nuo suspiro, sed nolo, nisi vocarit dominus. 9) Libellos meos ad te mittere, non est meum, scripsi de hac re Spalatino, ut id curet. Exivit interim libellus adversus Catharinum de Anti-Chrissto. 10) -- Philippus jam sub formis habet methodum Theologicam: librum Philippo dignum. 11) -- Omnia mea scripta nunc sunt vernacula. Germanis meis natus sum, quibus & serviam. -- Literas tuas priores, quas Wormatiam ad me miseris, multum post in hac solitudine accepi. Mirum autem est, quam placuerit & uxor, & paronymphus, qui eam mibi donavit, & adornavit. Peperit autem mibi filios, quos superius recensui, tu judicabis, an proles sit matri sanilis. Fœcunda admodum est, & tumescit uterus ejus pleno sinu, paritura, si Christus volet,

-
- 9) Vi. plurante his temptationibus ap. MYCONIUM in *Histor. Reform.* p. 42. SECKENDORFII, JUNCKERUM, locis, librisque notissimis, in primis in DN. D. ANTONII, Theologi Hallensis, egregia Dissert. de *Patmo Lutheri*. 10) De libris, quos hic recenset B. LUTHERUS, hoc tempore evulgatis Myconius l. c. p. 43. maxime DN. D. FRICKIUS, Theologus Ulmensis, in Indice Chronologico, Germanica SEC-KENDORFII versioni subjuncto. 11) Intelligit *Hypotheses Theologicas*, Vitemb. 1521. prima vice editas, ac sæpius postea recusas, a J. JONA mox Germanice conversas. Historiam libri optimi LEONH. HUTTERUS in L. C. p. 9. ac copiosius Venerab. Abbas, DN. HERM. HARDTIUS in *Histor. Reform. literaria* P. IV. p. 28. s. qui l. c. Locos hos MELANCHTHONIS communes recudi fecit.

B

volet, filium, qui virga ferrea franget Papistas sophistas - de votis enim religiosorum, & sacerdotum. 12) Philippo, & mihi robusta est conspiratio, tollendis & evanquandis scilicet. -- Salutabis & alios, mihi a Te nominatos, Othonem Brunfelsium, Casp. Wingerum, & Lucam Bathodium, & omnes, qui tecum damnant religiones angelorum, 13) ut Apostolus ait. Et Tu vale felicissime, & pro me ora. Ex eremo mea 1521.

MART. LUTHER.

§. IV.

Quia etiam Cl. A. Versionem N. T. emendatam, quæ cum Præfationibus, nec non interpretatione V. Libr. Mosis, & Historicorum, Josuæ, Judicum, & Regum Viteb. 1529. prodidit, p. 16, s. valde laudat, & in *conjecturis* cum versione vernacula, & Græco textu confert, operæ pretium erit, paucis monuisse: 1) dubitare doctos nonnullos viros, an ea LUTHERI sit. Ita diserte Theologi Saxon. Infer. in der wiederholten Christlichen Gemeinen Confession, und Erklärung, libro An. 1571. contra Vitembergenses edito, quorum auctoritas apud SCHLVSSSELBVRGIVM tantum valuit, ut scriberet de *Sacrament.* p. 405: *Non Lutheri eam versionem esse, sed alterius.* Debeo hæc testimonia diligenteriae

12) Vi. n. 10. laudatos, in primis MYCONIUM p. 43. 13) respicit ea verba, quibus Gerbelius usus fuerat: *Non credis, quam gratiscerentur diis suis adversæ partis assertores.* Aliæ ad Gerbelium a MELANCHTHONE, & GESNERO scriptæ epistolæ in eadem collectione FECHTIANA P. VIII. exhibentur.

gentiæ M. KRAFFTII in *Prodromo Hist. Germ. Bibliorum*

Vers. p. 20. Etsi vero idem KRAFFTIVS hoc judicium in vanæ suspicionis numero censeat haberi oportere, id tamen satis perspicuum est, ubique tersum, latinumque dicendi genus adhiberi, quod MELANCHTHONIS latitudinem prodat, in præfationibus vero ea uti auctorem lenitate, & modestia, quæ PHILIPPI ingenio conveniat, unde semper judicavi, MELANCHTHONIS præcipuas in hac versione conficienda fuisse partes, hunc pro sua, qua valebat, latine scribendi peritia, stilum curasse, LVTHERI monita, & consilia secutum esse, hujus etiam Præfationes in Vet. & N. T. libros nonnullos latine convertisse, LVTHERVVM in societatem operis venisse, hujus auctoritate totum negotium absolutum, cura vero recognitum, & emendatum, ut non præter rem liber is LVTHERO tribui possit. Quam sententiam GEORG. MYLIVS, Theologus Görlicensis, MELANCHTHONIS comes, & discipulus in sua, quam publici juris fecit, *Chronologia scriptorum Melanchthonis* confirmat, ubi, hanc versionem citra controversiam MELANCHTHONI deberi, contendit. Quæ cum ita sint, ratio patet, cur CHEMNITIVS, hujusque *Chronica* fratres nulli dubitarint, hujus auctoritatem interpretationis defugere, negarintque, ex eadem sententiam LVTHERI de præsentia CHRISTI, in cœlos subiecti, aliisque divinioris doctrinæ capitibus, exquiri vel posse, vel debere. Saltem id inter omnes constat, non magnæ inter Lutheranos auctoritatis hunc librum fuisse, ideo nec recusa, nec valde aliis commendata fuit. Neque ego III.) novam eam versionem dixerim, quæ non nisi emendatio Vulgati, & Latini veteris est, instituta, & suscepta non infeliciter secundum

B 2

Græcos,

Græcos, & Hebraicos codices. IV.) Etsi rarus sit hic Codex, ut solent libri, LUTHERO æquales, rariores interdum esse, nolim tamen ita rarum prædicare, ut *quinque modo superent exempla.* Sextum adservat amicus, cuius beneficio isto exemplari adhuc utor. Septimum latet in Bibliotheca *78 dñra*, octavum, & adhuc plura, ubi delitescant, novi. Sed nolo his diutius immorari.

§. V.

Quod ad ipsam Gerbelii editionem attinet, ea plenius, quam a DN. E. factum est, describenda nobis venit. Postquam salutari consilio ERASMUS Basili. in officina Frobeniana A. 1516. Græcum N. T. codicem typis exscribi, curaverat, Aldus Venetiis 1518. novam dederat editionem, eodemque anno ERASMUS in eadem officina Basileæ secunda vice accuratius, emendatiusque exemplar cum orbe christiano communicarat, Nic. Gerbelius, horum exemplis invitatus, partim ut sitim s. literarum studiosorum restingueret, partim ut Germanis suis notior fieret codex Græcus, minorique pretio vendibilis, studio in cives suos Hagenoæ ab ANSHELMO Badensi An. 1521. N. T. Græce excudi fecit in forma quarta, vel *magna octava* (prioris omnes sunt forma ordinis maximi, quam *folio* vocant) quæ monenda duxi, ne quis putet, falli viros doctos, e. c. MILLIUM, ubi hic in *Proleg.* n. 1136. p. 114. scribit, prodidisse editionem Hagenoensem in 8vo. Prioris tres editio-nes laudant, & accurate recensent B. SAUBERTUS in *Prolegom. ad Var. Lect. S. Matthæi* p. 39. GERH. MASTRICHTIUS, doctus, & pius Jctus, ac reipubl. Bremen- fisis Syn-

sis Syndicus in *Proleg.* præmissis elegantissimæ editioni N. T. a WETTSTENIO Amstelodami 1711. editæ, p. 17. qui pro modestia sua nomen suum his literarum involucris prodere voluit: G.D.T.M.D. i. e. GERHARDUS de *Trajecto Moſæ, Doctor.* MILLIUS in *Prolegom.* p. 112. seq. RICH. SIMON in *Hist. Crit. N. T. C. XXI.* s. primæ vero Erasnicæ historiam HERM. von der HARD, quem honoris causa nomino, in *Hist. liter. reform.* P. I. p. 53-100. secundæ p. 101. seq. more suo, id est, doctissime enarravit. Le Longium lubens prætereo, quem, video, sua incutius, interdum sine certo judicio, ac temere, transcribere. Hagenensem solus MILLIUS recenset, reliqui omittunt, hanc, ut puto, ob causam, quia Gerbelius superiores tantum expressit, nec varias lectiones, aut singulare quid, & novum in opere suo attulit. Codd. MSC. non usus est, Bafileenses, de quibus p. 15. forte vidit, ubi cum JO. OECOLAMPA-DIO Erasmo in prima editione adornanda usui fuit, quod ipse ERASMUS profitetur T. IX. Op. p. 801. Ceterum de instituto suo Gerbelius ipse, *nullam*, inquit, *dictiunculam vel minimam, secundum Frobenii, Aldique editionem in sua desiderari, quam sensus necessitas postularet.* Sunt tamen non pauca, nec levia, errata, quæ vel festinatio-
nis vitio, vel oscitanter commisit, ut Gerbelianam Fro-
benianis, & Aldina, corruptiorem, jure meritoque dicere
possis. Nonnulla indicabimus, plura deprehendet, qui-
cunque eas inter se editiones conferre voluerit. Quæ non
eo a me mentis proposito dicuntur, ut honori Gerbelii de-
traham, & diligentiam pii hominis elevem, aut veneran-
dum hoc antiquitatis cimelium nullius pretii putem esse,

B 3

sed ut

sed ut constet, recte aliquando judicasse JO. HENR. BOECLERUM in *Præf. N. T.* *Vix ulla in bunc diem editio, ab omni typorum mendo libera, publicata est, quicquid dissimulent, qui fateri nolunt.* Ut præterea lector monetur, non variam lectionem esse, si forte ab editis reliquis abeat Hagenensis, sed mendum typographicum, denique ut sciat, apud LUTHERUM plus valuisse auctoritatem Erasmi, quam Gerbelii, quia in locis, vitiis ab hoc exscriptis, cum Frobenianis consentit. Id, quod res est, vidit, ac his verbis exposuit JO. MILLIUS loc. cit. *Est expressa ad Erasmianam secundam, translatiæ tamen ex Erasmica priore, hancque secuta Aldina, nec scio quo pacto, vitiis haud paucis, quæ in Erasmica posteriore emendata fuerant, admissisque insuper multis lectionibus adduci posse, pro quibus genuinas in editione secunda reposuerat Erasmus &c.* Quo applausu excepta fuerit, mihi latet, certe ad celebritatem superiorum non pervenit, nec pervenire jure potuit, cum illis nec auctoritate, nec fide comparanda. Etsi vero falsa narret le Long *Bibl. sacr. p. 454. ed. Lips. Nov. Test. Gr. Lat. Erasmi Viteb.* 4to. An. 1522. prodiiisse, nam constat, dici oportere, tertiam Basileensem, ab Erasmo procuratam, eo anno lucem adspexisse, facile tamen ex cumulatis tot editionibus cupiditas intelligi potest, qua multorum ea ætate animi flagrabant, ut Græcos codices, ex tenebris in lucem, adspectumque omnium productos, haberent, legerent, versarent.

§. VI. Sed

§. VI.

Sed ut reliquorum etiam in Germania, Græce indoctorum, desideriis satisfaceret LUTHERUS, omnibusque aditus ad divinissimos N. T. scriptores pateficeret, & exploratum esset, doctrinam a semet propositam, & adhuc defensam, Apostolicam esse, christianam, scripturariam, consilium cepit, convertendi libros N. T. Germanice ; qui labor b. Viro ita feliciter successit, ut versionem habeamus nitidam, elegantissimam, nativa pulchritudine commendabilem, & valde doctam, versionem tamen, quæ infra fontium dignitatem longe subsistat. Quæ ad historiam hujus versionis referri possunt, ea, ut veteres taceam, a KORT-HOLTO, MAYERO, PESSELTO, KRAFFTIO, ZELTNERO, GRAPIO, aliisque, destinato consilio ita collecta sunt, ut post amplissimam messem ne spicilegium quidem reliquerint. Sed nos ea omnia nunc non magnopere curamus, sunt enim a præsenti loco aliena. Optarem vero, cl. E. exemplar editionis N. T. Germanicæ ad manus fuisse, quæ superstite adhuc LUTHERO lucem viderit, notum enim est, nonnulla postea immutata, alia addita, quædam a viris doctis meliorum partium emendata esse. Quia etiam, qui judex in hac causa sedebit, sententiam minus recte dicet, nisi in promptu habeat prædictas editiones Frobenianas, & Aldinam, vellem, ut conferre eas potuisset cum Lutheri versione, his vero se destitui, queritur cl. A. unde statim suspicio mihi subnata, vanas, & incertas fore *conjecturas*, id quod se ita habere, eventus docuit, ipsumque doctissimum conjectorem docere poterit facta a me dictorum, quæ excitavit, & illustravit, cum Erasmicis accurata collatio. Nondum vero causam perspicio, qua permotus,

tus, voluerit ex collatione nonnullorum dictorum, in quibus versio Lutheri ad codicem Gerbelianum accedit, conjecturam suam ducere, ita enim simili ratiocinatione collegi poterat, B. Lutherum codice Cantabrigiensi, aut Lincolnensi, aut alio quodam sive Britannico, sive Gallico usum, in conficienda interpretatione sua, quia in quam plurimis locis consensio est singularis, quam vero conjecturam inanem esse, omnes norunt, quia certum, codice Græco MSC. in hoc libro scribendo caruisse Lutherum, nec magnopere ejus desiderio commotum, editis contra contentum, & suo iudicio usum fuisse, nec tamen omisisse, vulgatum interdum sequi, cuius nonnulli, iisque emendatissimi, Codd. MSC. præsto ei fuisse videntur. Præterea cum apud me Curcellæi auctoritas non perinde multum, ac cl. A. valeat, quia in *lectionibus variis* accumulandis mala fide egit, quicquid contra videatur DN. D. PFAFFIO, Theologo Tübingensi, in Dissert. Crit. de *Var. lectionibus N.T.* (ut enim omittam, Curcellæum ipsum fateri in *Præf. se intermissione nonnullas Stephani, aliorumque emendationes ex conjectura*, quod *callidum consilium propagandi hæresin* recte vocat GEBH. TH. MEIERUS de *tribus initiantibus &c.* §. 16. perversa sane interpunctione, & distinctione multa corrupit loca, & sæpe in gratiam Neophotianorum, & suæ sectæ hominum falsas lectiones, exterminatis veris, substituit.) non fraudi, spero, mihi erit, si, omisfa Curcellæi auctoritate, veritatem ratione, & lectionibus a MILLIO, & MASTRICHTIO, optima fide collectis, exquiram. In dijudicandis enim *Var. Lect.* hunc canonem Criticum sequi consuevi: *Steph. Curcellæi annotationes varian-*

variantium lectionum pro var. lect. non habendæ, quia ille non notat codices, unde eas habeat, an ex MSC. an vero ex impressis exemplaribus. ap. MASTRICHTIVM loc. cit. p. 13.

§. VII.

Ut tandem ad ea exempla accedamus, quibus Auctor §. IX. fidem conjecturis facere voluit, quibusque LUTHERUS cum Gerbelio consentit, ea quidem omnia ita comparata esse, probabimus, ut major LUTHERI cum ERASMO, & Vulgato, quam Gerbelio, convenientia deprehendatur.

- 1) Dictum i. Jo. V, 7. deest in genuina LUTHERI versione, insertum postea vel a LEONH. HUTTERO, quæ MAYERI sententia, vel alio Theologo, ut KRAFFTIO placet. Acerbissime propter hanc omissionem LUTHERO succenset hircinus, vel rectius: HIERON. EMSERUS in *Annotat. über Luthers Neu Test.* p. 143. qui tamen ERASMUM excusat, quem in secunda editione v. 7. & 8. in integrum restituisse scribit. Si secundam Græcam intelligit, vehementer fallitur EMSERUS, factum id demum est in edit. Illtia An. 1522. sed procul dubio EMSERUS, qui Græca nec intellexit, nec legit, versionem latinam ERASMI, Anno 1521. a FROBENIO seorsim editam, indicare voluit, cui jam versum 7 de *triplici testimonio Patris, Verbi, & Spir. S.* inseruerat ERasmus. Fuerunt homines infruniti, qui LUTHERUM Arianismi ob hoc factum suspectum facerent, sed per sum-

C

mam

mam injuriam, mendacissime, ac impudentissime, ut ipse RICH. SIMONIVS, homo Pontificius, non obscure fatetur. Notum est, LVTHERV M incidisse in codices FROBENIANOS, & ALDINVM, in quibus omnibus abest, ERASMVM vero, et si tertiae edit. inseruerit, in annotationibus tamen iniquiorem esse, & hoc nomine, forte non immerito, quibusdam suspicuum videri. Sed quicquid adhuc de hoc dicto dici poterat, id dudum a JO. HENR. MAJO in *examine Hist. Crit. R. Sim. c. XVIII. MASTRICHTIO I. c.*
P. 35. *not. crit.* plenissime vero a JO. MILLIO p. 579-586. aliisque dictum est, ad quos lectorem remitto.

2. Jo. XIX. 38. verba: *ηλθεν καὶ οὐκ εὗται* desunt in FROBENIANA utraque, & Aldina. Quare ea omisit LUTHERUS. Mihi vero edita lectio vera, & germana videtur.
3. Apoc. XIII, 23. verba: *καὶ Φῶς - σοὶ ἔτι*, in LUTHERI versione desiderantur, quia in FROBENIANIS, prima, secunda, imo tertia, non occurunt. Aldus similiter omisit, nec non Gerbelius.
4. Joan. VI, 11. Editi nostri legunt: *Wie viel er wolte.* expressi ad Graeca verba: *ὅσον ἤθελεν*, quæ in primis ERASMI edit. occurunt. Reliqui Cod. forte rectius: *ὅσον ἤθελον*, *wie viel sie wolten.* Dignus est Beza, qui hic conferatur.
5. Apoc. XII, 10. in *ἐπικράτεια* cœlitum justorum de triumplo, ab hostibus, & Satana reportato, verba: *Accusator fratrum nostrorum*, non leguntur in antiquis Germ. versionis exemplis, nec in edit. FROBENIANIS.

NIS. ERASMUS, cum priores instrueret editiones, codicibus nec multis, nec iis sane optimis, usus est, præstantiores fecutus est XIMENIUS in opere Complutensi, selectiores, & plures postea nactus ERASMUS, in tertia, quarta, & quinta plurima menda susculit, felicior reliquis fuit ROB. STEPHANVS, qui antiquissimos, & optimos Codd. inspexit, TH. BEZA, cui eadem felicitas obtigit, opportunitate hac non ita usus est, ac fieri oportebat. Ergo veniam meretur ERASMVS, si vitiosas nonnunquam lectiones admisit, & insigniter lapsus est. Quorsum pertinet

- 6) omisso v. 26, c. XI. Marci. *καὶ δὲ ὅμοιος -- παρατηλόμελα
ιωῶν*. Nam exciderat hic versus incuria scribarum ex Codd. ab ERASMO visis. In melioribus legitur, & legi omnino debet. Quia vero LUTHERUS fidei E. multum, ut par erat, tribuit, ejus auctoritate vers. integrum omittendum censuit, salutari postea consilio in editionibus Germ. post An. 1662. restitutum publica auctoritate a Theologis Vitebergensibus, ut bene observatum DN. ECKHARDO. Idem Theologi nonnulla alia verba addiderunt, quæ non converterat L. quia in ERASMO non legebantur, alia emendarunt. Vid. D. ZELTNERVM de *novis Bibliorum versionibus Germ.*
- 7) Eorundem Theologorum prudenti pietati debemus versionem v. 36. Luc. XVII. nec a LUTHERO germanice conversi, nec ab ERASMO græce exscripti. Idem judicium esto de n. 8. 9. 10.
- 11) Apoc. XIIIX. v. 11. legunt FROBENIANÆ omnes, non *ἐπ' αὐτῆς*, sed *ἐπ' εαυτοῖς*, *bey sich selbst*, ut LUTHERVS reddidit.

C 2

12) v. 12.

- 12) v. 12. in fine: καὶ μαρτύρες exulat a FROBENIANA, & Germanica antiqua versione.
- 13) Jo. VIII, 59. verba: διελθὼν διεῖ - - ἦν. Non extant in FROBENIANA secunda, (in prima leguntur) de sunt in Aldina, interprete Vulgato, & codd. optimis. Ex margine in textum irrepsisse videntur, cui interpretamenti loco ex Lue. IV, 30: addita fuerunt, quæ ERASMI conjectura est in *Annot.*
- 14) Jo. XXI, 1. post verba τὸ λόγον multi codd. addunt: Ιοῦς μαρτύρας εὐλόγου, alii insuper: εὐρθεὶς εἰς νεκρά. Quæ verba ex v. 14. h. e. hic inserta. Editi recte: Ιοῦς μαρτύρας, reliquis omisis. Sed nec Ιοῦς μαρτύρας ERASMUS, & Aldus retinent, quos imitatus LUTHERUS, simpliciter: Darnach offenbahrte sich JESUS an dem Meer.
- 15) Apoc. V, 9. Verbum τὸ εἶδον non occurrit in FROBENIANIS, & in Aldina pariter omittitur. Similiter LUTHERUS. Rectius tamen in editis retinetur, nec dubito, quin verissima hæc sit lectio. Eod. Cap. v. II. LUTHERUS Vulgatum, & ed. sequitur: *Et numerus eorum millia millium.* Melius alii expresserunt: *Myriades myriadum, & millia millium.* Cui lectio- ni præstantissimi codd. favent, re ita postulante. Gloria enim CHRISTI iis hic verbis celebratur, quibus usi fuerant Moses Deut. XXXIII, 2. David Ps. LXVIII, 18. Daniel VII, 10. qui omnes de *myriadibus angelorum* loquuntur, pariter ut Paulus Hebr. XII, 22. ib. v. 12. Græcos cod. *Vulgato* prætulit, *divinitatem* vitiose legenti. Sed recte LUTHERUS: *Reichthum.* v. 13. b. LV-

b LUTHERUS Græca fideliter expressit, sed inter-
unctionem neglexit auctoritate vulgati. Ita enim
ed. & quidem recte: ἵκεσα λέγοντες. Τῷ καθημένῳ --
Ich hörte sie sagen: Dem, der auf dem Stuhl sitzt --
v. vero 14. Græcum Vulgato ante posuit: ibi ἵπου,
sie fielen nieder. Hic: Ceciderunt in facies suas.

- 15) Apoc. XIV, 8. vox τῆς Γυμνᾶς deest in *Froben.* & versio-
ne Germanica, non tamen deesse debebat, habet enim
singularem emphasin, & genuina est. vid. VITRIN-
GAM ad h. I. p. 657. ed. Amstel. REIZIUS & TRIL-
LERUS, incongrue: *Der Wein des Zorns, (und*
Grimms,) ihrer Hurerey. Cum Joannes loquatur
de scortatione spirituali, qua sanguis effervescat, &
ad libidinem incendatur. Solent enim superstitionis
homines perturbata esse mente, & cupiditate ardere,
nocendi a superstitione alienis. Quæ imago hominis,
medicata, calidaque potionē, veluti *Philtro* (σίρω Γυμνᾶς)
inebriati, quam bene homini, superstitione corrupto,
conveniat, facile intelligitur.
- 16) Quia cl. A. exemplar Gerbelianum in Apocalypseos
ultimis capitibus mutilum est, ut scribit p. 21. ex Cap.
XIX. & XX. dissensionum locos, inter editos reliquos
& Erasmicos cod. ac Gerbelianum, qui reperiuntur,
brevibus persequar. v. i. c. XIX. καὶ post Vulgatum o-
mittit L. μεγάλην post ERASMUM idem non legit,
pro ὅχλῳ πόλει legisse videtur L. ὅχλων πόλεων, quam
lectionem Vulgatæ faventem Pet. Faxardus, Marchio
Velesius in Codd. Gr. invenit ap. Lud. de la Cerdas
in *Adversar. sacr.* c. XCI. v. 2. deserto Vulgato,

C 3

is pro

ὃς pro ἵππῳ, qui loco quod legente, cum Græcis conspi-
 rat L. v. 3. vox αὐτῷ post κανίδες deest in ERASMI-
 CIS, & LUTHERI versione v. 5. εἰη λέγεται Λέγεται, LU-
 THERUS simpliciter: Ging von dem Stuhl, nam
 Το λέγεται non extat in FROBENIANIS, nec Aldina.
 v. 6. primum ὃς omisit ERASMVS, nec non LV-
 THERVS, qui in sequentibus accurate: als eine
 Stimme ic. vocem κιεὶς non reddidit L. quia omis-
 sa fuerat in Froben. Quam providus vero, & circum-
 spectus fuerit interpres noster, in interpretatione ERAS-
 MICI codicis, ex v. 7. colligi potest, ubi vitiose hic
 omittit pronomen αὐτῷ post οὗτον, sapienter autem
 cum Vulgato adserayit L. v. 9. ita exhibent Frobe-
 nianæ: γεγίνονται. Μάκαριος οὐ δέσποτος τῷ αρχίτην μένειο.
 Pariter LUTHERUS: selig, die zum Abendmahl des
 Lammes, neglecto artic. 7., & nomine: γάμος, ut-
 trumque rectissime legunt editi cod. v. II. κατέβηεν
 omittitur in Basileens. & Ald. sed Vulgatus: voca-
 batur. Huic convenienter LUTHERUS: hieß. v. 18.
 Τοῦ καθεύεται επ' αὐτῷ. Ita Basileens. videtur mendum
 typographicum pro αὐτῷ. Ita verbum interpretatus
 est L. die drauff sitten. v. 20. notabilis dissensio occur-
 rit. ERASMUS enim habet θανάτους, sed LV-
 THERUS: sie wurden geworfen. Εβλήθονται. Vulg.
 missi sunt; quæ lectio sola germana. c. XX. v. 4.
 πλευριμένων pro πεπελέθων legunt Basil. errato typo-
 graphi. L. recte: der Enthaupteten. v. 7. ita expri-
 munt Froben. κι ἐπει θεθῆσαν τὸ χιτώνα εἰτι. Sensus fe-
 re idem cum editis reliquis, quem bene asscutus est
 L. Et si

L. Etsi articulo non ubique par emphasis inesse soleat, unde b. LUTHERUS ejus saepius nullam omnino rationem habuit, ideo & nos prætereunda nobis esse putavimus id genus loca, in c. XIX. obvia, non possumus tamen, quin ex v. 8. notemus, omissum articulatum *τὸν ante vocem Magog in Froben.* & similiter neglectum a LUTHERO, qui verba ERASMUS *τὸν τοῦ θεοῦ Μάγων* transtulit: *den Gog und Magog.* ibl. v. 12. Vulgatum, legentem: in conspectu throni, postposuit Græco FROBENII, habenti: *καὶ πάντες εἶσαι* Vor GÖTT. ib. bis ERASMICÆ habent: *νέοις ἡγεμονούσι*, secus atque in ed. legitur. Sensu fere eodem. Sed redeundum nobis est ad propositum.

19) Apoc. XXI, v. 26. notat Cl. E. *καὶ οἱ οἰκουμενικοὶ εἰς αὐτὸν* a LUTHERO non esse conversum, sed, multis post annis demum a Theologis Vitebergenibus editioni Lüneburgeusi infertum. *Man wird -- sie bringen.* Recte omnino. Noto adhuc, integrum hoc comma in edit. Frobenianis pariter ac Aldina desiderari, quas ante manus habuit LUTHERUS. Quæ dum scribo, lectoris intererit, paucis monuisse, v. 24. hujus c. LUTHERUM pariter sequi ERASMUM, & ALDUM, qui vocem *τὸν λαόν* omittunt, hinc ille: *Die Könige werden ihre Herrlichkeit (δόξαν) in dieselbe bringen.* DIETENBERGERUS, & PISCATOR. *Ihre Herrlichkeit und Ehre.* TRILLER & REIZIUS. *Die Herrlichkeit und ihre Ehre.*

20) Matth. XIX, 24. ERASMICÆ copulam *καὶ* retinent. Und LVTH. Und weiter. -- In mentem hic venit, meminisse incuriae Gerbelii, ubi interdum *καὶ* *τὸν* præter me-

DISSERTATIO CRITICA ET THEOLOGICA

ter meritum vel omisit, vel extrusit. Ita LUC. IX, v. 2.
~~εἰπεῖτε αὐτοῖς~~ sine copula Gerb. Sed LVTHERV^S,
praeunte ERASMO: Und sandte sie aus. Rom. XI,
3. ante ~~τὸν διατίτηρα~~ non legitur ~~καὶ~~ in cod. Gerbel.
quod sensus postulabat, ERASMVS expressit, & LV-
THERVS convertit. Forte ex his quoque indiciis
falsitas nuperæ conjecturæ apparebit.

- 21) Matth. XXVII, 64. L. vocem ~~υπέρτος~~ omisit, non so-
lum auctoritate Vulgati, sed Erasmi etiam, & Aldi,
adductus.
- 22) Matth. XVI, ii. pro περσέχειν Basileensis I) & ALDV^S
habent: περσέχεται. Pariter LVTHERV^S: hütet euch.
Ita etiam Vulgatus. Ille etiam vim λέξιως intellexit,
ac ellipsis docte supplevit: wenn ich sage.
- 23) Act. VIII, 37. notabilis extat locus. Notum est, in-
tegrum versum: εἶμε δὲ οἱ λεπτοί -- χειρόι, in multis,
vetustissimisque codd. deesse, in editis vero omnibus
existare, ipsius ERASMI, et si hic in *annot.* testetur, in
uno, quo usus fuerit, pariter desiderari cod. unde GRO-
TIUS eo audaciæ processit, ut affirmaret, esse hoc com-
ma in supplementum historiæ primum a studio literarum
sacrarum ad marginem libri notatum, ac mox
a librariis in contextum assumptum. Quam GROTII
περί την fine censura dimittit Polus, MILLIUS vero pro-
bat. Perperam omnino. Nam γινομένα istius commatis
confirmant 1) auctoritas patrum antiquissimorum,
Irenæi L. III. c. 12. CYPRIANI *Testimoniorum ad*
Quirin. L. III. p. 77. ed. Brem. ubi ita: *in Actibus*
Apostolorum: *Ecce aqua, quid est, quod me impe-*
dit

dit baptizari? tum dixit Philippus, si credis ex
toto corde, licet. 2) Interpretum optimorum: Syri,
& Latini. Dubito, an vere scribat Cl. E. in Syriaca
versione hic vers. deest. Non deest in Syro TREMEL-
IBO LII, GUTTBIERII, & SCHAFFI, quorum exempla-
ria inspexi. An desit in WIDMANSTADII, & TRO-
STII edit: nescio, sane vix credibile id videtur. CUR-
CELLÆI fides saepius vacillat. 3) Codd. probatissimi
alii, quos laudat MASTRICHTIUS l.c. p. 22 qui do-
ete: *Centena MSC. isti (GROTI) conjecturæ post-*
ponere, sana crisi vix permittit. 4) Sermonis ne-
xus, quem pulcherrime monstrat CALOVIUS in B.
J. ad h. l.

24) Act. X, 21. verba: ηλει απει -- αυτοι omittunt non so-
lum Codd. multi, sed interpres etiam Syrus, & La-
tinus. MILLIUS non dubitat, ea addita esse ex v. 17.
h. c. vel XI, v. ii. claritatis gratia. Sed mecum dubita-
bunt omnes, qui rei veritate, & argumentis certissimis
adducuntur, ut statuant: *Græcum N.T. contextum*
nec corruptum esse, nec interpolatum, nec glosse-
matibus hominum scatere. Augerius horum verbo-
rum, 1) præstantissimi Codd. a XI MENIO in Com-
plutensi Op. ERASMO, ALDO, COLINÆO, STE-
PHANO, BEZA, visi, & expressi probant. 2) Ipsi
Codd. qui omittunt, inter se pugnant, alii habent απε-
ιαλμένες πρώτο αυτοι, alii contra: απειαλμένες από της Κορ-
ινθίας. Quæ diffensio 3) probat, peccatum hic esse a
librariis incuria, & scribis socordia, qui ubi semel v. 17.
scripserant; απειαλμένοι υπό της Κορινθίας, putarunt, v. 21.

D

super-

superfluum esse, & minus necessarium, eadem verba repetere. Qua ex re 4) quam pro sua suspicione rationem attulit MILLIUS, Theologus de sacris literis optime promeritus, eadem nos ad refellendam conjecturam, sine dubio audacem, & temerariam, commode utimur. Accedit 4) D. LUCÆ stilus, cui ejusmodi repetitiones admodum familiares sunt, cujusque sermo multo efficacior est, si ita scripsit, ut editi legunt, quam si ea verba deleantur. Ceterum in latina versione, quam A. laudat p. 23. Vulgati retinetur scriptura, ex quo sententia mea, quam supra prædixi, confirmatur. Quod pariter ex versione v. 23. patet.

- 25) Act. XXVIII, 29. Etsi hoc comma in Codd. nonnullis exiguae auctoritatis omittatur, retinuit tamen ERASMUS, habent editi omnes Expressit etiam LUTHERUS.
- 26) Verba, Epistolæ ad Hebræos subjecta, non esse divinæ auctoritatis, sed θηγραφὰς & ψωγραφὰς ab hominibus, sæpius contra fidem historicam, adjectas, notum est. Unde parco hic patientiæ lectoris, meoque otio, & TH. BEZAM ad h. I. ac FED. SPANHEMIUM de auctore epist. ad Hebr. P. II, c. 3. commendando.
- 27) 1. Jo. V, 21. ἐπειδὴ, sine adjecto: με. Legit ERASMUS, nec aliter convertere potuit LUTHERUS, quam fecit: Kärdlein, quia STEPHANUS primus voculam με inter V. L. posuit, quam nec Vulgatus habet.
- 28) 2. Joan. v. 3. Frobenianæ legunt: καὶ ἦμῶν, alii editi: μεθ' ὡμῶν. Priorem lectionem præfero, & ut præferam, facit contextus v. 2. cum 3. bene ergo LUTHERUS mit uns.
30. Matth. XXII, 13. verba: ἀπάλειπον, a LUTHERO præterita,

terita, non exstant in *Frobenianis*, & *Aldina*. Vulgarus etiam omisit, nec occurrunt in latina versione, quæ LUTHERI esse dicitur.

- 31) Jo. III, i. deest quidem in *Ald.* & *Frob.* pronomen *aītū*, unde LUTHERUS. Mit Nahmen NICOD. nescio tamen, quid TRILLERIUM permoverit, ut diceret in vernacula: *Dem der Nahme war.* Quis ita loquitur? Sed dum verbum verbo reddere voluit, boni interpretis partes non explevit, & opere ipso docuit, quam imperitus sit utriusque linguae, qui enim idiotismos sermonis non intelligit, nec exprimit, is male munere interpretis defungitur.
- 32) Jo. XIV, i. majoris momenti est præscriptio sermonis, quo Servator discipulos docuit. Deest in editis. ALDUS vero, & ERASMUS constanter habent: *ναὶ εἰπε τοῖς μαθηταῖς αὐτῷ.* Eadem verba in Cod. MSC Latino Sec. Xll. quo usus sum, inveni. Neque tamen puto, genuina ea esse. Ad defendendum LUTHERUM valet auctoritas Er. & Aldi.
- 33) Act. I. 24. LUTHERUS eodem ordine verba convertit: *Zeige an - Dienst*, quo exhibent *Froben. Aldus, Gerbelius, Complut.* Stephano merito succenso, qui primus, ni fallor, ea male transposuit, male distinxit. Hinc non modo inutilis est innovatio TRILLERI & REITZII, sed etiam melioribus Codd. contraria.
- 34) Act. II, 30. judicis religionem adjuvare poterit, ubi sententia in hac causa dicenda est. LUTHERUS ita: *Dass ihm GOT verheissen hatte mit einem Eyde, dass die Frucht seiner Lenden sollte auf seinen Snuhl sissen.*

ſizēn. ERASMUS in prima editione ita: ἀμοσης αὐτοῦ
ἐ Θεοὺς, τὸν παρπόν τῆς ὁσφοῦ αὐτοῦ καθίουσι οἱ τοῦ Θρόνου αὐτοῦ.
Similiter ALDUS, ne verbulo immutato. ERASMI-
CÆ vero reliquæ, post Ἀρχέων addunt: τὸν καὶ σάρκα
ἀιασθούσαν τὸν χριστὸν. Ex his manifesto liquet, LUTHE-
RUM non ERASMUM in *curis secundis*, non Ger-
belium, illius imitatorem, sed ALDUM, & ERASMI-
CAM primam fecutum esse, non aliam credo ob cau-
ſam, quam quia *Vulgatus* consensit. Desinant pro-
inde LUTHERI hostes, criminazione malæ fidei ul-
cisci fidissimum interpretem, si quod enim hic com-
missum est crimen, quod nullum est, id totum VUL-
GATO, ERASMO, ALDO, probatissimis Codici-
bus, debet adsignari.

35) *ivayē A& XI, 23.* legunt ERASMUS, ALDUS, La-
tinus *Vulg.* pariter ita in suo exemplari legit, reddidit
enim: *eduxit.*

36) Apoc. XVII, 3. In vulgatis Bibliorum *German.* exem-
plaribus nunc legimus: *Hatte sieben Häupter und*
zehn Kopfe, sed a LUTHERO ipso recognitæ, &
evulgatae edit. tantum habent: *hatte zehn Kopfe*. In-
curia enim librariorum factum erat, ut verba: *κεφα-*
λὰς ἵπτανται ex Aldina, Frobenianisque exciderent.

§. VIII.

Plura loca noluit cl. A. exquirere, ratus, *hæc satis pos-*
se fidei facere, hanc Gerbelii editionem fecutum esse b.
Lutherum. Ista vero ita selegit, quia in CURCELLÆI
edit. & Præf. Lüneb. edit. Bibl. hæc veluti extantiora exem-
pla vel

pla vel variarum lectionum, vel emendatae ab aliis versionis LUTHERI allegata videntur. Operæ pretium facturus est, qui integrum conferet codicem editum cum Aldina, & Frobenianis, poterit tamen supercedere labore, Gerbelianam cum superioribus componendi, ob rationes prædictas. Quoniam vero ad hunc locum perventum est, juvat, producere & examinare plura adhuc dicta, in quibus megalantri versio a codicibus nostris abit, non quidem eo consilio, ut constare possit lectoribus, quo forte codice in interpretatione sua usus fuerit LUTHERUS, id enim nemini, spero, dubium & obscurum ex dictis esse poterit, sed ut injuria, ab EMSERO, aliisque, LUTHERO illatæ, propellantur, veraque omissionum, & variationum origo innotescat, quam minus dextre indicasse videtur JO. SAUBERTUS, Theologus eximius, ubi in *Præf. ad Var. Lect. Evang. S. Matthæi* p. 38. l. scribit: *Quia L. etiam strepitibus adversariorum, propter omissa quedam verba excitatis, non fuit motus, ut illa in versione sua restitueret, magna suspitione adducor, ut credam, nixum fuisse b. Virum uno, pluribusve præstantioribus codicibus, quorum textus ductu pariter talia insuper habuerit, quæque adeo variae etiamnum in MSC. deliteant.* Codices enim græcos non versavit LUTHERUS, latinos habere potuit, quibus cum judicio usus est. Dabimus itaque recensum locorum, vel ab EMSERO objectorum, vel a SAUBERTO l. c. aliisque notatorum.

¶ Apoc. I. v. 16. ἦς ἦλεθος φάνεται τῇ δυνάμει αὐτοῦ. Ita editi omnes, in primis Frob. & Ald. LUTHERUS: leuchtete wie die helle Sonne. SAUBERTUS putat,

D 3

omitti,

omitti hic verba ēr̄ ἦν δυνάμεις αὐτῆς. Sed male, nam perspicue, & eleganter, conversa sunt voce: helle quæ clarius rem exprimit, quam si vertas: Die Sonne in ihrer Krafft. (i. e. am hellen Mittage.)

- 2) Apoc. XVI, 5 editi: ἀγέλασθε τοις οἰδητοῖς. LUTHERUS nude: Der Engel. Nam abest vox aquarum ab Ald. & Froben.
- 3) Ap. XVIII, 3. ὁ Ἐυπορεῖτης ἡνὸς γῆς. Sed LUTHERUS: Ihre Rauff-Leute. Legerat enim in editis Ald. & Froben. αὐτῆς.
- 4) Multa præterea sunt in Apocal. loca, in quibus tex-tum corrupisse LUTHERUM, impudentissime crimi-natus est EMSERUS, quem hominem, rerum Theolo-gicarum imperitum, ignarum Græci sermonis, & bo-narum artium rudem, docte refutavit SAUBERTUS
l. c. p. 31-35.
- 5) 2. Petr. I, 10. nugatur EMSERUS, LUTHERUM studio præteriisse verba: *per bona opera*. S. Peter, inquit, drückt klar aus, womit man den Beruff gewiß ma-chen könne, nemlich durch gute Werke. Welches der Luther in der Feder gelassen ic. Lorinus pari impu-dentia: *Lutherus illud: per bona opera, expunxit*. Prudentior utroque Estius: *forte Petrus hæc verba non addidit*. Editi Græci Codd. omnes verba δια τὰ παλαιά εἶτε non habent, Vulgatus legit, ex quo in pauca MSC. irrepsierunt. Contra centena MSC. ERAS. MI, ALDI, XIMENII, STEPHANI, COLINÆI, BRYLINGERI, &c. qui omnes ea omiserunt, fidem sar-tam,

b62 tam, te^{ct}am conservant, ac simul LUTHERUM ab o-
mni corruptionis suspicione absolvunt, cuius doctri-
næ, tantum abest, ut ista vocabula noceant, aut Ponti-
ficiorum errori profint, ut ex iisdem veritatem confir-
met MELANCHTHON in Apol. A. C. p. 222. siqui-
dem omnino studium bonorum operum per ~~περσε~~
~~εργα~~ a PETRO pariter ac LUTHERO subintelligi-
tur, isque sensus sponte ex verbis fluit, etiam sine
Scholio isto: per bona opera.

- 6) 2 Pet. II, 13. LUTHERUS: sie prangen mit euren All-
mosen. Sed editi: luxuriantes *ἐν ταῖς απάταις καὶ τῷ*.
b. SEB. SCHMIDIUS vertit: *Saginati in fraudibus*
suis. Piscator obscure: treiben *Wollust mit ihren*
Betrug. TRILLERUS: *Die zärtlich leben bey ih-*
ren Betrügereyen. Res ita se habet. ERASMUS ex
conjectura *ἀγάπας* substitui, legique volebat pro *απά-*
ταις. Neque tamen mera, & ab omni antiquitatis suf-
fragio deserta, conjectura fuit, sed präiverunt partim
Vulgatus, partim Patres nonnulli Græci. vid. MIL-
LIUM. Imo in Codd. magnæ auctoritatis *lectio* ERAS-
MI reperitur, quæ pariter ex *Jud.* v. 12. probatur: *σπο-*
λαδεῖς ἐν ταῖς αγάπαις. Hæc satis sunt ad defensionem
LUTHERI, nolim enim cum SAUBERTO p. 36. co-
ligere, visum LUTHERO codicem quendam ALE-
XANDRINO conformen in illa voce, eumque hujus
lectionem probasse, atque ita expressisse.

- 7) Minoris momenti sunt ea, quæ hic sequuntur, Luc.
II, 33. editi: *ἰωσήφοις ἡ μητέρα. L. post ERASMUM & AL-*
DUM; sein Vater und Mutter. ib. v. 43. *καὶ οὐκ ἔγραψεν*
Ιωσήφος,

10σιον, καὶ οὐ μέτρον αὐτῷ. Ita VULGATUS textus. Sed LUTHERUS: seine Eltern wußtens nicht. Legerat enim ita in Aldo, & Erasmo. Jo. XXI, 15. 16. 17. editi legunt: SIMON Iωνᾶ, sed LUTHERUS: Simon Johanna, ut Aldus, & Erasmus, nec non Vulg. Luc. XVII, v. 36. deest apud LUTHERUM. In nostris ab alia demum manu additus: Zweyten werden auf dem Felde seyn - werden. Nec hoc comma de repertis in agro agnoscit Frobeniana, MSC. suffulta ex Matthæo adjectum putat GROTIUS. Rom. XVI, 3. πειρασθεῖν, pro πειρασθεῖν legunt ALD. & FROBEN. ita pariter LUTHERUS. Et si qua sunt id genus alia, quæ pro instituti, & brevitätis ratione prætereo.

8) 2 Cor. X, 7. LUTHERUS: Der denecke solches wiederum bei ihm. Ita enim Græci cod. omnes: ἀφ' εἰσῆλθε. Sed Gerbelius vitiose. πάλιν εἰσῆλθε, omissa ἀφ'.

9) Rom. XII, ii. WETTSTENIANA Amstel. habet: Τὰ κυριώς δελέμεντε. Ita Vulg. Syrus, edit. Compl. FROBENIANA. I. Sed LUTHERUS: schicket euch in die Zeit. FROBENIANAM II. secutus, in qua, nec non reliquis 3. 4. 5. constanter: Τὰ κρείτονα. Dignus, qui legitur, ERASMUS in annotat. ad. GLASSIUM Philol. S. p. m. 244. illud: tempori probant HIERONYMUS & AMBROSIUS, utriusque libros, diligenter legendos, contriverat LUTHERUS. Varia L. ex compendiosa scriptione: καὶ, nata, quæ dupliciter legi potest: καὶ εἰω & καὶ εἰ. vid. Gal. VI, 10. Eph. V, 16.

10) Act. XIII, 24. LUTHERUS: dem Volke Israel predigte. Aldus & Froben. Τῷ ισραὴλ. Sed reliqui editi: Παντὶ τῷ λαῷ ισραήλ.

§. IX.

§. IX.

Reliqua, quæ in promptu sunt, exempla omitto. Liber enim scribendus esset, si vel integer codex conferendus, vel vindiciæ versionis vernaculae suscipienda forent. Redeo potius ad cl. Conjectorem, qui §. X. p. 26. s. novo argumento conjecturis suis fidem facere, laborat, sed, si quid video, valde infirmo, unde locum hunc pluribus persequi nolo, ne fines angusti operis frustra extendisse, & honori doctissimi Viri detraxisse videar, idque eo securius facio, quia hæc causa ab opinionibus, a conjecturis, ad testes, & certa argumenta tota traducta est. Quis quæso credat, LUTHERUM Græco N.T. exemplari destitutum ante comitia Wormatiensia? qui ERASMI editionem, a vulgo Theologorum pro capite Medusæ, & pomo quodam Eridos habitam, a literatis vero, & bonæ mentis viris, Lutherique studiosis, avidissime exceptam, studiose versavit, sustulerat profecto ERASMUS signum, bene sperandi de re publ. & emendatione corruptelarum. Cum etiam Saxo magnis sumptibus per Spalatinum optimos codices Venetiis Vitebergam curaret deferendos, ap. HORTLEDERUM, & SCHLEGELIUM in *vita Spalat.* quis credat, ALDI editionem D. MARTINO incognitam fuisse. Constat, LUTHERUM in Patmo non vixisse sine libris. Non credibile, formam medium ei tractabiliorem visam, quam formam ordinis maximi, viro, gravissimas molestias lato animo superanti. Nec potuit exemplo Gerbelii primum invitari, ut novam versionem N. T. conficeret, qui jam ante, quam in arcem Wartburgensem abduceretur, animum ad scribendum eam versionem appulerat, quæ consilia tandem in ea solitudine, DEO feliciter juvante, bene perfecit, ita tamen,

E

ut dicitur

ut *deutēpae Φερνίδες* accederent, allectis postea in societatem Græce doctissimis viris, qui ad fidem editorum Codd. *Froben.* & *Ald.* non omissa Vulgati auctoritate, omnia recognoscerent, corrigerent, emendarent. Si, conjecturis indulgere, placet, ex epistolis mutuis GERBELII & LUTHERI eas ducamus, fas erit. Ibi vero nec Gerbelius de sua editione LUTHERUM admonuit, nec LUTHERUS scripsit, se ex *Hagenoenſi* edit. proficere, aut, exemplo Gerbelii excitatum, novam moliri versionem, nec tale quicquam, quod pro suo candore fecisset, si Cl. E. conjecturæ locum haberent.

§. X.

Accedo itaque ad ea loca examinanda, quorum recensum p. 30. f. dedit, quibusque LUTHERI versio a contextu Gerbelii recedit.

1. Matth. I, 18. LUTHERUS: *Die Gebuht Chriſti.* Sed Gerbelius. *¶ In eis Christus ȳt̄ens.* De permutatione vocum *ȳt̄ens* & *ȳt̄inens*, quæ idem significant, nihil monet A. sed de omissione nominis *ητ̄s* follicitus esse videtur. Illud vero omisit L. auctoritate ERASMI, & VULGATI, forte etiam eo argumento permotus, quo non ita multo post Matthæi ætatem in refellendis hæreticis usus est S. IRENÆUS L. III, c. 18. his verbis: *Poterat dicere Matthæus: JEſu vero generatio sic erat. Sed prævidens Spir. S. depravatores, & præmuniens contra fraudulentias eorum per Matthæum ait: CHRISTI autem generatio sic erat.*
2. Matth. III, 12. editi omnes *χριθέντες* habent sine pronomine *αὐτοῖς.* LUTHERUS vero: *seine Schreure.* Sensu hanc

hanc vocem postulante. Media noster interpres via
incepsit inter $\pi\alpha\tau\alpha\sigma\sigma\omega\eta$ & $\mu\epsilon\tau\alpha\phi\beta\alpha\sigma\omega\eta$, recte judicante b.
FRANZIO, quo animo cum esset, rei ipsi conveniter
ita locutus est. Similiter Syrus, & alii interpretes. vid.
SAUBERTUM l. c. ad h. l. & MILLIUM.

3. Matth. IV, 23. nomen $\pi\alpha\tau\alpha\sigma\sigma\omega\eta$ ante $\iota\theta\epsilon\gamma\mu\omega\eta$ servant
multi, probatisimique Codices ap. SAUBERTUM,
MASTRICHTIUM, & MILLIUM, ll. c. c. omittunt
tamen multi, editi omnes, cum versionibus, quas vi-
di. LUTHERUS: Er machte sie Alle gesund. Quia
 $\mu\epsilon\tau\alpha\phi\beta\alpha\sigma\omega\eta$ leges prudenter susque deque habens, per-
spicuitati consulere, & sensum exprimere voluit. Pote-
rat scilicet pronomen: $\alpha\upsilon\lambda\delta\sigma$ ad solos $\pi\alpha\tau\alpha\sigma\sigma\omega\eta$, veluti
proxime commemoratos, referri, quod tamen ad reli-
quos etiam, $\tau\eta\zeta\delta\alpha\mu\omega\zeta\omega\eta\eta\omega\eta$ &c. pertinet. Quod ne
fieret, veluti per $\iota\theta\epsilon\gamma\mu\omega\eta$, addit vocem: Alle, o omnes
eos ægros, qui in hoc v. memorantur.
4. Matth. V, 46. legit latinus interpres: *habebitis*, secus
atq; in editis ERASMI, & aliis $\epsilon\chi\eta\lambda$. Latinum imitatur
hic, ut sæpius alibi, LUTHERUS. Imo res ipsa loquitur,
more Græcorum $\epsilon\chi\eta\lambda$ ponit in *futuri* potestate.
5. Matth. VI, 4. Gerbelius male, & ex negligentia vocem
 $\alpha\omega\eta$ omisit, quam LUTHERUS cum ERASMO, & edi-
tis recte retinuit.
6. Quem Græcinominant *Beelzebul*, eum CYPRIANUS,
& AUGUSTINUS, Lat. Codd. VULGATI, cum im-
pressis *Lat.* constanter Beelzebub, quos imitatus sa-
pienter est LUTHERUS.

E 2

7. Matth.

7. Matth. XI, 16. *καὶ γοργῖς*. Multi Codd. *καὶ ἀγορᾶ*. Diversitas ex Luc. VII, 32. orta videtur. Sensus utrobique idem. *Lat. foro.* Quem eo lubentius expressit LUTHERUS, quo iste loquendi modus convenientior erat Germanis.
9. Matth. XV, 22. ERASMUS : *εὐαγγέλιον αὐτῷ, λέγοντες*, quem non deserit LUTHERUS, sed nervose, & perspicua ita convertit: sic schreyt Ihm nach. *Kapitel xvii* est zu einem schreyen, & ubi contextus requirit: einem nachschreyen. Vox Germanorum schreyen non significat, inconditum tollere clamorem, qui intelligi nequeat, sed articulatim, & distincte dicere, Græci, queis tamen *musica dedit ore rotundo* loqui, elegantius, & clarius: *εὐαγγέλιον λέγουσι*. Quæ cum ita sint, vitiosum commiserunt pleonasmum REIZIUS & TRILLERUS, vertentes: hat sie geschrÿen, sagend. Otiosum etiam est illud: *οὐπίστη*, & minus necessarium, dicere, LUTHERUM a Græco recedere.
- falff* 10. Matth. XV, 25. qui editi Cod. *περιενινον* legant, praeter Gerbelium, ex incuria mendum typographi non emendantem, necio, neque vidi quemquam, qui ita cum Gerbelio legat. ERASMUS, & ALDUS habent: *περιενινον*, sic fiel vor ihm nieder. Aor. enim I. s̄epe tempus, ut vocant, *imperfectum* notare, LU-
THERO non latuit.
11. Matth. XVI, 13. *Πάτε με λέγοντες*: Ita legit ERASMUS, & lectionem hanc contra *Vulgatum* defendit, atque ex vetustissinis Codd. Lat. confirmat, sed SIXTUS V. in *Correct. Rom.* ad h. l. *Non est addendum pro-*
nomen

nomen Me, tametsi Græce legatur. Satis pro imperio. LUTHERUS noster vel studio in Vulgatum, vel pro recondita, qua valebat, utriusque linguae scientia, superfluis omissis, sensum recte ita assecutus est.
Wer sagen die Leute, daß des Menschen Sohn sey.

13. Matth. XXI, 7. ERASMUS : ἐκαρχούνται αὐτῷ
(6,8) Vulgatus habet : *desuper*. Pariter LUTHERUS : sagten ihn drauff. Gerbelius negligenter : ἐκάρχονται. Quamvis lectio ιπάω αὐλῶν vera, & genuina, a qua si qui Codd. & interpretes recesserunt, factum id est, auctore Luca Brugensi, ad evitandam difficultatem, quæ ex recepta lectione emergere videtur. Perperam hic οὐ πατίαν, & ἀνυελογιαν fingit JO. CLERICUS Art. Crit. p. 242. ed. Lips. Non enim id dicit Matthæus, CHRISTUM utrique animali insedisse, sed super utrumque (ιπάω αὐλῶν) vestes constravisse discipulos, ut CHRISTUS eligeret posset, quod vellet, facienda a CHRISTO pulli (Marc. XI, 7. Luc. XIX, 35. Jo. XII, 14.) electione, imposuisse discipulos Servatorem ιπάρω αἰτῶν, supra vestimenta. Quæ interpretatio criticas CASAVEONI, BEZÆ, SCVLTETI, LVD. de DIEV ap. PÆIUM in *Synopsi* emendationes facile refellit, αἰγιτιαν textus vindicat, ac LUTHERI versioni non adversatur, qui, ut dixi, ERASMVM, & VULGAT. imitatus est.

14. Matth. XXVI, 36. editi omnes τοῖς μετραις habent sine autem. LVTHERVVS Vulgati interpretis vestigia pre-

E 3

mit

mit, sensu ita postulante. Pariter Syrus, & Münsteri
Versio *Ebraica*.

15. Matth. XXVI, 70. *αὐτὸς τῷ παῖτινος* habet editio *prima* ERASMI. In *secunda* abest *αὐτὸς*, quam hic sine iudicio certo exprimit Gerbelius. Nam restituи debet in editis vox: *αὐτὸς*, quam sensus poscit, probatissimi Codd. legunt, Syrusque habet. Rectissime ergo LV-THERVS: *für Ihnen allen*.
16. LVTHERVUM iudicio suo plus tribuisse, & rei veritati, quam auctoritati ALDI, & ERASMI, ex Luc. III, v. 26. patet, ubi illi exhibent *Ιωάννην*, sed LUTHERUS rectissime: Joseph.
17. 18. exigui sunt momenti, & ad rem parum faciunt.
19. *Philemon*. v. 7. maluit b. LUTHERUS deserere ERASMUM, quam interpretem latinum. *Xaegi* enim prætulit voci *χάρειν*, quam ALDUS, & editi plerique habent, secus ac Cl. ECKHARDO videtur, vertitque, *Wir haben grosse Freude*. Quamvis *χάρειν* etiam *gaudium* notet, HESYCHIUS: *χάρεις, δώρεια, χαρά*. *Χάρεις* significat *donum, gaudium*. Et THEOPHY-LACTUS ad h. l. *χάρειν, τέλεσθαι, χαρεῖν*. Idem hic Paulus dicit, quod aliis verbis 2. Cor. VII, 4. 13. 1. Th. III, 7. idque recte percepit LUTHERUS.
20. Tandem recensum omnera finit loco Act. Xlll, 33. ERASMI, ALDI & GERBELII exemplaria legunt: *ἐν Ιαδαὶ τῷ πρώτῳ*. Sed LUTHERUS pro usitatori Psalmos distinguendi modo melius: *Im andern Psalm*. Prior lectio non ita vitiosa, ut externa specie

cie videri poterat, nescientibus, Hebræos veteres, & Patres antiquos, primum, & secundum Psalmos in unum confudisse. vid. MILLIUM, hoc docte probantem, p. 287. N. T. ed. Amstel.

§. XI.

Sed plura superesse in versione nostra vernacula loca, in quibus dissensio quædam a Græcis vulgatis deprehendatur, facile fatebitur, qui Græcos editos cum nostris contulerit, nec negare videtur cl. E. Syllogen talium variationum dedit JO. SAUBERTUS in *Proleg.* sæpius laudatis p. 24-29. & in Evangelio S. Matthæi occurrentes idem diligentissime annotavit. Poterat facili negotio auctior fieri index, sed quia peritis, probisque Bibliorum lectoribus ea per se patent, imperiti vero & improbi offendit, & forte auferri poterant, ut crederent, versionem nostram aut mala fide, aut imperite concinnatam, præstat, inutili supersedere labore. Nemo, nisi valde indoctus, & malus, in LVTHERO bonam fidem, & scientiam literarum Græcarum desideraverit, nemo etiam corruptionem insignem, & depravationem aliquius dicti, ullo in libro, producere potuit, et si ex hostibus LVTHERI multi in hanc vitam incubuerint, & ut exemplis in rem præsentem allatis probarent depravationem verborum, mendacissime LUTHERO exprobratam, rogati publice, ac provocati fuerint. Res omnis ad varias electiones rediit, ad variationes nullius momenti, sæpius omnis differentia in verbis, & literarum apicibus constitit, frequentissime id in LUTHERO culpatum fuit, quod laudari debebat, & prædicari. In examine vero versionis Germanicæ, de qua loquimur, secundum canones quosdam criticos judicari oportere, puto, qui ita poterant constitui:

I. MART.

- I. MART. LVTHERVS Codicem N. T. interpretari, & Germanice vertere cum vellet, Græcos circumspexit codices, idque facere debebat bonus interpres, versionem enim ex versione confidere, mali res est exempli.
- II. Cum vero Codd. MSC. non in promptu haberet, editis contentus fuit, quos ERASMUS & ALDUS cum orbe christiano communicarant, quorum fides jure, meritoque eo exploratior LVTHERO esse potuit, quo pluribus ingenii, doctrinæque ornamentis fuerunt prædicti. Hos proinde sequi tuto in interpretatione potuit, quia boni viri erant, docti, industrii, vetustissimisque codicibus instructi, omnique subsidiorum genere abundantes, ad hunc laborem accesserant.
- III. Noverat vero idem Theologus, nulli mortalium donum infallibilitatis suppetere amplius, nec quemquam ab errore immunem esse. Quia ex re magni quidem prædictos duumviros fecit, sed cum sciret, quam facilis hic esset, incuria, festinatione, mala lectio- ne, ex vitioso codice orta, lapsus, Vulgatum in confilium adhibuit, & constanter inspexit, hujusque auctoritatem nonnunquam editis Græcis ante posuit.
- IV. Ubique enim analogiam fidei, ceu cynosuram, sectatus est, eamque præcipuum interpretationis suæ esse voluit adjumentum. Habuit b. Vir Spiritum CHRI- STI, & ~~πνευμα της αληθειας~~, quæ est secundum pietatem.
- V. Unde majorem curam gesit ~~σωτηρια~~ textus, doctrinæ divinioris, veritatis, pietatis, & perspicuitatis, quam variarum lectionum, in ea lectione libenter acquiescens, quæ bonum, facilemque sensum funderet, ac cum

cum analogia fidei, & doctrinæ Apostolicæ conveniret.

VI. Neque silentio prætereundum est, medium tenuisse LUTHERUM inter *Paraphrasin*, & *Metaphrasin*, i. e. nec verbum verbo voluisse reddere, nec verba insuper habuisse, sed sensum Spiritus S. expressissime sermonem, Germanis cognito & familiari, qui, quoad fieri poterat, λέξιν Græcam referret. Quod officium erat boni interpretis.

VII. Quia recentiores editiones, quæ in præsenti omnium conteruntur manibus ad STEPHANIANAS, LUTHERO juniores, excusæ sunt, æquitas jubet, ut si qua in nostra versione diversitas a Græco contextu occurrat, ea ex illis potius editionibus, LUTHERO æqualibus, dijudicetur, quam his, quarum varias lectiones, in textum tandem receptas, prævidere non potuit.

VIII. Tandem sciunt omnes, *versionem* scripsisse LUTHERUM, qualis dignitate semper inferior est ipso fonte. Constat, integrum relinqui peritis *traditoribus*, & literarum sacrarum interpretibus, sensum Sp. S. accuratius exquirere, & cum modestia proponere, sed quia videndum, ne quid resp. christiana detrimenti capiat, putamus, abstinendum ab acerbiori censura LUTHERI, nec temere ab homine privato novam versionem evulgandam, tantumque abesse, ut deceat, vel ex malevolentia, vel audacia *hyper critica*, dignitati receptæ versionis detrahere, ut probi hominis, emendatæque mentis sit, præpotentem DEV M propter

pter insigne hoc beneficium laudare, eidemque supplicare, velit idem in posteros conferre, ac tantæ, tamque luculentæ suæ bonitatis filios nostros, & qui nascentur ex illis, participes reddere.

§. XII.

Secundum has æquissimas, ut puto, leges sententia de omnibus locis dici potest, quæ vel ipsi indicavimus, vel ab aliis annotata esse, diximus. Ita omissione I. Jo. V, 7. Marc. XVI, 26. Luc. XVII, 36. & cet. ex Can. II. Matth. XXI, 7. XXVI, 36, & aliis id genus locis, quæ deprehenditur diversitas, ex Can. III. dissensio Act. XIII, 33. Matth. XV, 22. Apoc. I, 16. & rel. ex Can. V. & VI. poterit dijudicari. Quæ EMERUS LUTHERO objecit, ex Can. I. diluuntur. Quas TRILLERUS, & REIZIUS moverunt turbas, ex Can. VII. & VIII, nec non VI, sopiri possunt, & tolli. Indigne tulerunt Pontificii, a LU^THERO Rom. XI, v. 6. verba inserta esse: *Ists aber aus Verdienst der Werke, so ist die Gnade nichts, sonst wäre Verdienst nicht Verdienst,* refutantur homines maledici ex Can. I. II. IV. V. Rom. IX, 5. ERASMUS vocem οὗτος eliminandam ex textu: 'ο ἦν ἡτι μαῖην οὗτος ἐυλογητὸς -- clamabat, & quicquid ingenii, doctrinæque habebat, huc conferebat, ut pestilentem errorem aliis persuaderet. Sed LUTHERI animum expugnare non potuit, nec a recta abducere via. Id quod confirmat Can. IV. I. Tim. III, v. 16. LUTHERUS: *geprediget den Heyden,* omessa præpositione ē. (vid. Can. II. VI. VII.) post ALDUM, & ERASMUM. Verum etsi sciret, Vulgatum pro οὗτος, legisse ē in exemplari suo Græco, & ideo transtulisse: *Quod manifestatum est in carne,* Patres etiam antiquos,

cosque

eosque auctoritate magna, legere; & hos tamen, illumque sensu abundare suo permisit, recteque vertit: **GOTT** ist geoffenbahret in Fleisch. vid. Can. IV. V. Idem versus illustrat Can. VIII. CASP. ULENBERGERUS enim in sua versione ita loquitur. Und ist zwar am Tage ein groß Geheimniß der Gotteslichkeit, welches geoffenbahret ist in Fleisch, quæ quantopere nostræ perspicuitate, emphasi, veritate, concedat, quilibet videt. Rom. I, 17. verba: διαγορίνεις LUTHERUS reddidit: Die Gerechtigkeit, die für Gott gilt. Quam fremunt hic Pontificii! quam irascitur DIPPELIUS! sine ratione, dijudicent, velim, οὐτὶς ἐντινεῖ sine præjudicata opinione, & perturbata mente, Can. IV. & VI. Quos fluctus in mari suo Aegeo excitarint Pontificii propter insertam Rom. III, 28. voculam: Allein, notius est, quam ut a me dicatur. Omnes fluctus sedari possunt, si Can. VI. cum IV. componatur, & æquiparetur. Nec alias interpretationis hujus causas allatas video ab ipso b. LUTHERO in epist. von Dollmetschen, quam ex Tomo V. Jenens. b. FRANZIUS exhibet in calce lib. utilissimi: de interpretatione S. Script. Rom. IV, 12. incommoda non potest non videri versio LUTHERI: Die da wandeln in den Fußstapfen des Glaubens, welcher war in der Verhaut. Cum in editis nostris ita verba fluant: απά -- της εν τη ἀνεργοστασίᾳ μίσεως --. Sed ERASMUS in secunda ita ordinaverat: της μίσεως, της εν τη ἀνεργοστασίᾳ. Sc. γόνος. Et ita commodissima est interpretatio. vid. Can. II. VII. Ex quibus quidem breviter dictis tum usus, tum veritas, & æquitas canonum satis apparebit.

§. XIII.

Nec auctoritates desunt, si quis forte illas desideret, ad canones confirmandos, et si satis per se firmos, ac argumentis probatos. Ita Can. VIII. copiose defendit, & explicat DN. D. ZELTNERUS l. c. p. 19-46. Idem canon cum IV. & V. a b. GRAPIO in Dissert. de *Germanica versione* b. *Lutheri* adstruitur. I. V. & VI. destinato consilio, & eruditissime b. FRANZIUS de J. S. S. confirmat. Vener. Hallensium Theologus, DN. HERM. FRANCKIUS, quem diu DEUS rebus humanis superstitem esse jubeat, ut, quod facit, diu de cœtu puriori, & orbe christiano, de Academia, quam ornat, & de egenis, quibus præsidio est, & adjumento, bene possit promiceri, in *Vindic. Observ. Biblic. mensa Mayo quæ*. II. p. 544. f. Can. IV. & VIII. probat. ERASM. SCHMIDIUS. Vir pie doctus, in *Præf. Vers. & Annos.* in N.T. Can. VIII. calculo suo firmat. Ipse b. SPENERUS, *Judic. Theol. Germ.* P IV. p 233. Can. VIII. & IV graviter commendat b. DIECMANNUS & POSSELTUS in laudatis *Præf.* pedibus eunt in sententiam Can. I. II. VII. KRAFFTIIUS suffragio suo non deesse videtur l. c. c. Canonibus II. III. VI. VIII. Quam tenacissimus fuerit *analogia fidei* LUTHERUS sec. Can. IV. Ipse RICH. SIMONIVS agnoscit *Hist. Crit.* V.T. L.II, c 23 p 336. edit. Gall. quamvis infenso in eundem animo, & ut perstringeret, appellat enim *analogiam fidei* præconceptas LUTHERI opiniones. Rectius multo b. JO. CONR. DANNHAUERUS in memoria Thaumasiandi Lutheri renovata. FLACIVS ILLYRICUS in *clave Script.* P. II. tract. 6. de *stud. linguae Hebreæ*

Hebrææ p. 660. *DEO gratias*, inquit, *agamus de pluri-*
bis bonis versionibus, inter quas omnes facile Germani-
ca excellit, tum fidelitate expressi sensus, tum & per-
spicuitate & energia sermonis. -- Sed tamen ipsi fon-
tes inquirendi. Quibus verbis Canon VIII. approbatur.
Idem p 661. seq. monstrat viam, inter Paraphrasin & Me-
taphrasin medium, qua LUTHERUS incessit. PHIL. ME-
LANCHTHON Præf. ad T. II. Op. Lutheri ita: Inter-
pretatio V. & N. T. L. in qua tanta perspicuitas, ut
vice Commentarii esse posse ipsa Germanica lecio.
vid. Can. VI. dignus in primis est, qui in subsidium vocetur,
b. RAI THIUS, judicio plenus, & doctus Theologus, in
Vindic. Germ. Versionis, qui omnibus Canonibus clario-
rem lucem affundit. JO. etiam MUSÆUM honoris causa
nominō, eodem labore defungentem in Vindic. Bibl. Lu-
theri adversus Erberm. nec CALOVIUS in Proleg. ad
Bibl. illustr. nobis prætereundus.

§. XIV.

Quia vero *Can. III. Vulgatum* in multis locis, monui,
expressum esse, & hoc video in argumentum calumniæ a
RICH. SIMONIO pertrahi, nostra, qui sciamus, quid de
utraque & latina, & vernacula versione N. T. judicandum
sit, interesse videtur, ut animi notiones plenius explicemus.
Notum est, b. LUTHERUM, cum primum in literas divi-
niores incumberet, ac postea spartam Professoris P. ornan-
dam nanciseretur, versione Bibliorum Latina constanter
usum, ex qua in sermonibus privatim, & publice ad po-

pulum habitis, disputationibus, libris, verba frequenter allegavit, sed cum instauratis, DEO volente, propitio, literis, Græcus cum Hebraico Bibliorum Codex *Ἑρμηνεία* in lucem prodiret, hunc majori pietatis affectu esse veneratum. Alebat ea tempestate Germania ingratisimos homines, qui magnitudinem beneficij divini, per restitutos fontes in genus humanum collati, ut dignis concelebrarent modis, tantum aberant, ut culparent potius, & reprehenderent, suosque, vellent, juberent, ex impuris rivulis, non limpidissimis fontibus, sitim restinguere. Quam invidiam, & barbarorum hominum imperitiam ut optimus quisque indigne ferebat, ita justissimo odio aversatus est LUTHERUS, qui & accepti magnitudinem beneficij gratus prædicavit, ubi tum ipse ex *authentico* Bibliorum Codice profecit, tum cœtui Germanorum Christiano profuit, confecta ex Græco contextu versione, & opere ipso docuit, se non defugere auctoritatem latini interpretis, antiquissimi illius quidem, nec sine publica utilitate per mille annos a multitudine fidelium lecti, quandoquidem hunc editis Græcis censuit ante ferendum, quoties id rationes Can. IV. & V. allatæ suadebant, & postulabant. Has vero consilii rationes, prudenter initi, & utilissime perfecti, invidiose vellicat, & maleficio dente carpit R. SIMONIVS *Hist. Crit. N. T.* P. II. c. XLIII. p. 521. seq. ut mirum sit, EMSERUM & SIMONIUM, unius sectæ homines, quiue factionibus cum factiosis certant, civile hic bellum gerere, & mutuis se conficeret vulneribus, uterque enim pro Vulgato militat, ille tamen arma expedit, quia abit a Vulgato LUTHERUS, hic aciem instruit, quia cum eo consentit. Sed nec ipse sibi in omnibus constat SIMONIUS, doctrinæ & ingenii ceterum
orna-

ornamentis abundans, nam quamvis ipse graviter & ornate pro summa dicendi facultate dicat: *Vulgatum* interpres meliores, & probatores Codices Gr. in promptu habuisse, quam *Erasmus* & *Aldum*, idem doceat: editos Cod. Græcos non sine examine critico temere, & ubique imitandos, ubi tamen de LUTHERO sententia pronuncianda erat, id in eo condemnat, quod in aliis laude dignissimum esse, judicat. Tanta vis est præjudicatae opinionis! succenset illis, qui versionem ex versione, susque deque habitis fontibus, adornant, idque merito, ergo laudandus erat LUTHERUS. Indignatur vicissim illis, qui, neglecta Vulgati auctoritate, cœco impetu editos Gr. sequuntur, ita denuo laude dignus erat, qui nec criticæ mentis *αγριόις*, nec Variarum Lectionum apparatu indiguit, ut sensum divinorum scriptorum assequeretur, sed bonæ mentis regimini obtemperans, præceptis Evangelicæ doctrinæ abundans, analogiæ fidei tenax, in congruentia sermonis acriori cogitatione defixus, & DEO precibus, afflictionibus, fide, animi integritate proprius conjunctus, delectu habito, exquirere potuit, quæ lectio contextui convenientior, quæ verisimilior. Ut ivero, hæc omnia *Enthusiasmum* sapere, nugatur SIMONIUS, PELAGIANISMI, in cœtu Romano diu triumphantis, merito suspectus, ita in primis l. c. scribere non dubitat: *Il a plutost suivie sa Phantaisie dans le choix, qu'il fait quelque fois de l'édition Latine, que les règles d'une critique exacte.* Si exemplis, in medium productis, fidem temerario asserto fecisset, animus censoris plenius perspici potuisset. Sed ultra indicem SAUBERTINON sapit. Nunquam versionem Germanicam

Germanicam legit, nec legere potuit, nostri sermonis rудis, unde integro Cap. XLII. aliorum scrinia compilavit, quicquid dicit, aliorum sermonibus accepit, ut imparatus, & inermis, ad hoc pugnae genus processisse, videatur. Deditus supra recensum multorum dictorum, in quorum interpretatione Vulgatum sequi maluit LVTHERVS, quam ALDVM, rogamus itaque lectorem, ut judicium pro candore suo, & sine ullo partium studio, ferat, utrum incerta phantasia an certo judicio ductus permotusque ille videatur. Fraudi fuit SIMONIO, in aliis notandis perspicacissimo, anticipata opinio, & fastus criticus. Est ad offensam promptus, & veræ Theologie imperitus, ideo *analogiam fidei*, a PAULO interpreti sacrarum literarum tantopere commendataam, οὐαφεω̄ textus, cognitionem *veritatis*, *quæ est secundum pietatem*, non erubuit nominare *phantasiam Lutheri*. Mox ad se redire videtur, & qui altera hastam vibraverat, altera nunc caduceum porrigit, nam laudat LUTHERUM p. 522. quod ἀγάνας cum *Vulgato* legerit 2. Pet. II. 12. & sui quasi oblitus judicat: *Lutherum utilissime Vulgatum in ipsis locis (en ces Lieux - la, sed unicum tantum SIMONIUS allegavit, ex SAUBERTO transcriptum) prætulisse Græcis, ubi hi incommodum habere sensum videbantur.* Quæ nostra sententia est, Can. IV. & V. proposita. Imo causam LVTHERI a fidei sociis vindicat, negatque, Arianismi suspicione labore megalandrum propter omissum. 1. Jo. V, v. 7. aut corrupti S. Codicis posse insimulari, ob neglecta verba: *per bona opera* 2. Pet. I, 10. utrumque judicium, quippe ab hoste profectum, in usus convertimus nostros, & rudi, maledicæ-

ledicæque vulgi Theologorum multitudini in secta Românenſi opponimus. Quod si vero, ut colligere mihi posse videor, argumen^{tum} inde deducit, quod b. LUTHERUS δοξολογία in *Oratione dominica* Matth. VI, v. 13. omissa au-
toritate Vulgati, Germanice converteſit, optarem ego hanc LUTHERI phantasiam SIMONIO, & omnibus Criticis, ac Pontificiis, ἀνθετά̄ divinissimæ formulæ ſollicitantibus, ita enim ſaperent, & desinerent tandem, veritati contradicere, quam invictis argumentis probarunt GLASSIUS Ph. S. L. I. tr. II. p. 208. GERHARDUS *Conf. Cathol.* L. II. Art. I. p. m. 381. f. KORTHOLTUS de *Var. script. edit.* c. VII. Hos vero audire non vult, his, præcipue CALO-
VIO, obſtinatum animum, (*un entièrement*) & *præjudicia* exprobrat SIMONIUS, atque criticæ artis imperitiam. Tota controverſia his continentur vel partibus, vel argu-
mentis, ſunt, qui prædictam δοξολογίαν non ab ipſo CHRI-
STO recitari, juffam, nec a S. MATTHÆO in literas re-
latam, ſed a doctořibus eccleſiaſticiſ denum inventam,
textui Græco recentiori ætate insertam, ac ex Liturgiis
Græcorum mutuo ſumptam eſſe, affirmant, hancque ſen-
tentiam Pontificii, & ex Protestantibus Critici inſigniores:
GROTIUS, BR. WALTONUS, *Episcopales* in Anglia, pro ſuo in Vulgatum ſtudio, nominatim MILLIUS, & forte plures, tuentur, his adduci rationibus. 1) Quia in Evan-
gelio S. Lucæ non reperitur. 2) in Vulgata, & Arabica de-
fideratur, 3) in Codd. Latinis, & Græcis non extat. 4) a Pa-
tribus antiquiſſimiſ, maxime Latinis, non explicatur. 5) Sed in Liturgiis Græcorum tantum occurrit. Respondeo bre-
viter ad singula, ut, quam partum roboris, & firmamenti hiſ
omnibus inſit, pateat. 1) Prima ratio omnium eſt inſirmis-

G

ſima,

sima, quæ si valeret, integrum orationis formulam Christianis eripere, & ex N. T. eliminare poteras, quia in Marco, & Joanne non legitur. Placuit Spir. S. a Luca præteriri ea verba, quæ jam a Matthæo erant scripta. Cur *Harmoniae Evangelistarum* concinnantur? Absurdus erit, qui, ut in tanta exemplorum multitudine unicum proferam, Luc. XXII, 19. expungenda censeat verba institutionis S. Cœnæ. To γαστερινοῖς διδομένοις. Τότε ποιῶτε εἰς την ἀραιωνικὴν ἔμπνιον: *Quod datur pro vobis.* Hoc facile in mei memoriam, quia a Matthæo, & Marco omittuntur. 2) Multipliciter hic lapsus est Vir summus, H. GROTIUS, per αὐτάρ την μητρικήν δicit, Latinum hanc formulam habere, & Arabem, sed Arabicæ exemplaria hic inter se non conveniunt. JO. GREGORIUS Op. Anglice editorum T. I. p. 160. testatur, in optimis Codd. MSC. N. T. Arabicī δοξολογίας non reperiri. ER-PENIUS omisit. Quam porro *principii petitionem* commiserit GROTIUS in *not.* ad h. I. GOD. OLEARIUS ostendit in *Observat.* ad *Matth.* p. 215. Etsi vero Vulgatus & Arabs interpres non legant, quid inde? Arabicam versionem ex Coptica esse concinnatam, SIMONIVS probat P. II. H. Cr. N. T. c. XVIII. idemque ex speciminibus, ab ATHAN. KIRCHERO prolatis, poterat constare. Vulgatus vero in exemplar Græcum incidit, in quo incuria librarii, & scribæ, vel alio quodam casu, formula omissa est. Syrus, dignitate Latino si non major, certe par, antiquior vero sine dubio, postquam *antiqua Italica* periit, emendatiūs nactus exemplar, verba reddidit, ut Græce leguntur. Unde Arabicæ versio cum neutri disidentium parti suppetias ferre poscit, ad Vulgatum conversi, hujus quidem magnam, sed non tantam auctoritatem esse posse, docemus, ut si-

ut fidem exemplariorum Græcorum, & textus authenticis, auctoritatem Syri, & Gothici, aliorumque interpretum, elevarе possit, aut Patribus Græcis opponi. Valet, valebitque perpetua regula, sapientissimorum hominum singulari confessione confirmata, universalem corruptionem codices Græcos non invasisse, & ex versione, sive Latina sit, sive quæcunque alia, fontem corrigi nec posse, nec debere. 3) Quando in Codd. non extare dicitur δοξαλογία, codices distinguendi nobis sunt in *Græcos & Latinos*. Ad priores quod attinet, ERASMUS ingenue fatetur, se in omnibus Græcorum Codicibus, quos viderit, eam legisse, ALDUS idem confirmat, FRANC. LUC. BRUGENSIS, cuius propter exploratam, cognitamque virtutem & eruditionem magna apud me est auctoritas, in XV. MSC. libris additam existare hanc coronidem testatur. Habet probatissimus Cod. *Cæsareus*, MASTRICHTIO laudatus *Not. Crit.* p. 3. STEPHANUS ex omnibus, quos versavit, Codd. duos tantum eam pericopen omittere, invenit. Quæ cum ita sint, mirari convenit audaciam BRIANI WALTONI, in *Appar. Bibl. Proleg.* XIV. p. 410. edit. *Tigur.* ita scribentis: *Deest doxologia in Vulg. Lat. & in omnibus antiquis Græc. MSC.* Magis prudenter scripsérat TH. BEZA ad h. l. *magnifica illa quidem, & sanctifica, sed irrepsit in contextum, & in vetustissimis aliquot codicibus Græcis deest.* At enim si qui cod. vetustissimi omitunt, ii ad Vulgatum reformati sunt, ut LUC. BRUGENSIS suspicatur, nec ipse negare poterit SIMONIUS, qui tum alias codices ad Latinum correctos, passim monet, tum idem de *Cantabrigiensi* affirmat, quo usus aliquando

BEZA, & a quo clausula abesse dicitur. CENTENIS vero MSC. duos vel tres opponere velle, artis criticæ leges prohibent. Latinos vero Codd. hanc clausulam non habere, quamvis sint, in quibus reperiatur, ipso teste LUCA BRUGENSI, nostræ causæ eo minus nocet, quo certius est, omnes istos rivulos ex uno dimanare fonte, & scripturam unius codicis Gr. referre. Unde nunquam sine indignatione lego hæc verba ERASMI in *Annot. magis taxanda fuerat illorum temeritas, qui non veriti sunt tam divine prectioni suas nugas assuere.* Itane ERASMUS ab ERASMO dissentit, qui innumeros n̄evos interpretis Lat. detexit, & corruptelis eum scatere, diligentissime commonistravit, ut hic Vulgatum omnibus Codd. Græcis anteponeret, sed *absolum est*, ita nobis obnunciat ERASMUS, *statuere, totam Romanam ecclesiam hactenus fugisse bonam partem orationis dominice.* Quasi vero magis absurdum sit, dicere, ita respondemus cum D. OLEARIO l. c. *Ecclesiam Latinam ista formula fuisse destitutam, quam omnes Græcos Codices statuere additamento isto esse inquinatos*, addo, quam Syrum, patres præstantissimos, totam ecclesiam Orientalem, qui omnes ~~au~~^g_{ra}^u_{li}^u_u exitus prectionis divinæ agnoscunt, falsitatis, & corruptionis postulare. Æquius est, ut credamus, nihil hic a Græcis additum, sed a Latinis aliquid detractum. 4) Non negamus, in libris Patrum, in primis Latinorum, qui superfunt, vestigia doxologizæ non apparere, quos vero cautionum locas in reliquis dictis scripturæ, a Patribus citatis, observandos esse, suadent Critici peritissimi, eos hic sequamur, oportet. Scilicet sæpius interpolasse, & interpretationis

mentis auxisse Scr. dicta Patres, hisque verba nunc addidisse, nunc detraxisse, non posse *νογίας* insimulari ea verba, quæ in Codd. & interpretibus exstant, etsi a Patribus prætereantur, abstinentum a temerario judicio, quale hic tulit GROTIUS: *Latini omnes Patres omitunt*, non enim omnes legerat GROTIUS, nec legere poterat, quia plerique Patrum libri interciderunt. TERTULLIANUM nominatum opponunt contrariæ sententiæ defensores, qui in lib. de *Oratione Domini*. hæc verba non interpretatus est. Infirma ratiocinatio! TERTULLIANUS non explicuit finem supplicationis, ergo spurius ille est. LUCAM interpretatur TERTULLIANUS, non MATTHÆUM, petitiones explicare, constitutum secum habebat, non doxologiam. Idem Doctor vocem *Amen* non exponit, quam tamen authenticam esse, conceditur. Auctor *Operis Imperf.* in MATTHÆUM, Sec. fine dubio IX. scriptor, explicat v. 13. Matth. c. VI. & ita legit, ut editi habent. Idem faciunt ex Græcis Patribus numero multi & auctoritate clari, ut enim omittam *Constitutiones Apostol.* ubi L. III, c. 18. interpolator, quisquis ille fuerit, certe Sec. III. antiquior, doxologiam exhibet, CHRYSOSTOMUS, & qui ex hoc fonte rivulos suos consecuti sunt, EUTHYMIUS, THEOPHYLACTUS, eam explicant. Imo his omnibus antiquior, divus Paulus, 2. Tim. IV, 18. cum VII. *petitionem* fiducia plenus attulisset, liberabit me DEUS ab omni malo, statim subjungit doxologiam: *Cui gloria in secula seculorum, amen.* Simile loquendi genus Rom. XVI, 27. Phil. IV, 20. occurrit, quæ verba ab Apostolo ex solenni formula publicæ Christianorum supplicationis deprompta esse,

magis credibile est, quam ex familiari Judæorum sermone, quos, ex *Sepher Hammassar* IX, 12. constat, preces suas terminare solitos fuisse his verbis: *Quia tuum est regnum, & regnabis gloriose in secula seculorum.* vid. GREGORIUM l. c. p. 163. & JO. LIGTFOOTVM in *Hor. Hebr.* ad h. l. Denique DAN. WIHTBYI, Angli, judicium in *Exam. Var. Lect.* JO. MILLII L. II, c. i. promulgare, juvat, ita se habens: *Precationi ab ipso domino nostro composite commentitium aliquod adjecisse patres, non credo, quod si hic loci factum esset, cur non etiam pari temeritate apud Divum Lucam?* Super est, ut ad quintam rationem respondeamus. Curatores enim editionis Complutensis ap. JO. MILLIUM in *Proleg.* p. 58. a. ex *Liturgiis*, inquiunt, *profecta est hæc clausula.* BR. WALTONVS l. c. *Doxologia ista erat Chori vel populi responsum, postquam in Liturgia recitata erat oratio dominica, unde in margine primo posita, postea in textum irrepit.* Talia enim se edoctum, scribit, a GROTIO. MILLIUS *Proleg.* p. 109. non minus audacter: *Certe v. 13. pars non est orationis dominicæ, sed clausula aliun de desumpta, scilicet ex Liturgiis Græcorum.* Multa circumferuntur *Liturgiarum* veterum exempla, de quibus JO. ALB. FABRICIUS *Cod. Pseudepigr.* N. T. P. II. & celeber. PFAFFIUS in *Dissert. de Liturgiis* summatim commentantur, omnia ~~ταῦτα~~, spuria, a disciplina christianorum seculis primis aliena. Imo certum, & Historiæ ecclesiastice gnaris cognitum est, certam Liturgiam, i. e. ut notiori

notiori vocabulo utar, *formam precum, & rituum in Consecratione & administratione S. Cænæ*, quam etiam *Agenda Ecclesiastica* nominamus, Sec demum IV. apud Græcos esse usu firmatam, qua cum aliis oratio Dominica recitata fuit. Cum vero ex Liturgiis Sec. I. II. & III, quippe vel recens ab impostoribus confictis, vel sequiori ætate valde interpolatis, nihil præsidii, & adjumenti habent dissentientes, Liturgias post Sec. IV solas vel intelligunt, vel admittere coguntur. Ipsa S. CHRYSOSTOMI *Liturgia*, qua Græci communiter utuntur, perversa est a sciolis, & diversis modis immutata, ut recte judicat JO. HALLESIVS ap. Caveum de *Script.eccles.* Sec. IV. p. m. 217. cui consentit JO. ALB. FABRICIVS in not. ad ALLATII *Libr.eccles.Græcorum* p. 13. Quæ monenda duxi, ut absurditas contrariæ sententiæ clarissime conspiciatur. Ita ne Syrus interpres, Sec. profecto IV longe antiquior, & auctor *Constitut. Apostol.* iisdem temporibus superior, verba hæc a *Liturgiis* mutuati, sanæ rationis homini videbuntur. Intellexit vim argumenti hujus RICH. SIMONIUS, quam ut effugeret, singit, Syrum hic interpolatum a recentiori manu esse, nec GROTIUS latebat, hæc sibi objectum iri, unde mirabili consilio asserit, versionem Syram, & Latinam (quam, per errorem putat, formulam finalem continere) post *flabilitas Liturgias confectas* esse. Utrique desperatio causæ suæ has doctas nugas extorsit, qua ex re GROTIUS ne MILLIO quidem satisfecit, SIMONII vero censoriam notam, dubium non est, quin judices periti e tabulis eradendam censeant. Quid de CHRYSOSTOMO fiet? an hunc ex Liturgia,

turgia, quam ordinavit, & constituit, δοξολογία in Matthæum intrusisse, dicamus? Sed aliud te decebit CHRYSOSTOMUS, quem lege. Si ex Liturgia in Matthæum irrepit, cur non irrepit in versionem N. T. Copticam, & Arabicam? cum in Copt. & Arab. Liturgia existet, vid. EUSEB. RENAUDOT in *Collectione Liturg. Oriental.* T. I. p. 57 seq. Cur tergiversamur, id dicere, quod res est? propterea doxologiam orationis dominicæ a Græcis in Liturgiis usurpatam, quia *authentica* est, & a Servatore nostro præscripta. Ut taceam, quæ hic acute observant GLASSIUS, & KORTHOLTUS l. c. Tandem non possum, quin doctam ex JO. GREGORIO l. c. p. 162 conjecturam afferam, ab OLEARIO, quamvis disimulato veri auctoris nomine repetitam, in *Observ.* p. 216. qua LUCIANUS antiquitatem versus, male suspecti, afferere creditur. Hic enim in *Philopatride*, postquam Christianorum mores acerbissime perstrinxerat, de S. Trinitate, DEO alte regnante - aeterno filio, Spiritu - uno ex tribus, & ex uno tribus, ut loquitur, nefarie dixerat, ac PAULO, Galilæo calvo, naso aquilino, in tertium cælum per aëra vecto, conviciatus fuerat, precandi quoque formulam invidiose calumniatur. Ita enim TRIEPHON. Critiæ respondens, introducitur: ειπει τέτοις, mitte illos, Την εύχην αὐτῷ παρπάς αἰρέσθαι, καὶ τὴν πολυεπιμορφὴν ιησοῦ τελοῦσθαι παρεπιδεικνύειν. potius precationem auspicare a PATRE, & in fine addere MULTINOMIUM hymnum. Quivis videt, hic processus respici solennes, quarum initium: Pater, finis vero cumulus multorum nominum, DEO tributorum, cui supplicabant

plicabant Christiani. Atqui talis est oratio dominica, ut incipiat a verbis: *Pater noster*, desinat vero in *multis nominibus: regni, potentiae, gloriae, conjunctis, & Deum* celebrantibus. Nisi nos haec conjectura fallit, jam Sec. II. doxologia Christianis frequentata fuit, id quod ad præsentis questionis de *augustinia Epilogi explicationem permulum* cum facit.

§. XV.

Satisfactum, credo, est SIMONIO, & omnibus, qui, Vulgatum a LUTHERO præter rem desertum esse, & male habitum, conqueruntur, nunc interpres laudatissimus defendantus paucis erit ab illis, qui malling, prorsus negletum fuisse Latinum, nec unquam editis ALDI, & ERASMI exemplaribus honore, & dignitate antelatum. Qui quid dicant, ignorare mihi videntur. Primi editores *novi Testamenti* non divino instincti fuerunt afflati, ut in dissensione Codicum MSC. nunquam a vero textu Apostolico aberrarent. Vulgatus interpres vice Codicis Græci fungitur, eo probatoris, quo antiquior ille est, saltem ALDUS melioribus usus est Codicibus, quam ERASMUS in prima editione, qui correctiores nactus, multas lectiones postea expunxit, genuinis surrogatis, *Vaticanus Codex*, cuius scripturam exhibit Complutensis, magnæ existimationis, Cod. *Cantabrigiensis* celeberrimus, Vulgato propius accedunt, ne de *Veleianis Var. Lect.* de quibus supra, dicam, has enim ab auctore efficias, ut auctoritatem Vulgati sartam, tenuam conservaret, res ipsa evidentissime loquitur. Jam dum itaque animum subiit ea consideratio, si plene, perferre que suo nitori restitui posset Vulgatus, & ab innumeris

H

mendis,

MSB

mendis, erratis, nævis, scribarum, & librariorum expurgari, debere eum pari auctoritate frui cum Syro, & cum Codice Græco quocunque, nullum enim, scimus, omni carere mendio, nunc vero eundem, quam corruptus etiam sit, posse utilissime in interpretanda S. Scriptura conferri, & cum editis comparari, a Viro præcipue, LUTHERI simili, qui tum naturali judicandi facultate egregie valeat, tum recondita disciplinæ divinioris scientia sit instructus. Sunt loca, in quibus lectio Latini senior, & melior videtur, quam vel ALDI, vel ERASMI. Ut exemplis res constare possit, unum, aliudque oraculum N.T. collatis versione Germanica, Latina, & editis antiquis Græcis, observationibus criticis, & sacris illuminabimini.

Matth. V, 22. *I*ch aber sage eu*h*: wer mit seinem Bruder zürnet *w*. Omnes editi Græci addunt: *in* *tempore*, *sine causa*. Hinc PISCATOR: *wer mit seinem Bruder lieberlich zürnet*, REIZIUS: *vergebens, ohne Ursach*. Sed LUTHERUS Vulgatum sequitur, gravesque habuit hujus judicij rationes. 1) Noverat HIERONYMUM in *Comment.* ad h. l. graviter scribere: *rādendum esse illud: sine causa, nec in veris Cōdīcībus exstare*. AUGUSTINUM similiter L.I. *Retract.* c. 19. *Codices Græci non habent: sine causa*. 2) Prona erat ad conclude *ndum ratio*, scholion esse illud *in* *tempore*, ad emolliendam CHRISTI sententiam, ad marginem positum, quod commentator explicationis gratia addidit, ut sensus fieret commodior. Forte interpres ille ARISTOTELIS abundavit præceptis, qui irasci homini, & ultiōnis quadam cupiditate ardere, honestum duxit, si moderatio animi accedat, & juste adsint irarum causæ, idem vero docebat, indecens esse, irasci graviter, & *sine causa*, quam

quam hominis philosophiam ad præsens CHRISTI di-
ctum accommodat GROTIUS, sed accommodare non po-
terat LUTHERUS, οὐ Φίαν non ἡσήσους, sed οὐδέ οὐδοῦτος,
& viva JESU CHRISTI cognitione imbutus. Etsi ve-
ro, si recte explicetur, vox εἰνὶ sanum sensum habere pos-
sit, quamvis videam, quod a doctiss. Theologo pro dū Ger-
mā vocis Ph. S. p. 191. afferatur, argumentum, quæstionem
non probare, quæ sane non est, an *christianis zelo, & ju-*
stia ira, concepta e. g. de vitiis, erroribus, interdictum sit,
nam Servatori sermo est de iracundia adversus *fratres*; fa-
teor tamen, me cum LUTHERO in ea versari opinione, cupi-
ditatem *irascendi fratri*, qua non alia blandior animi adfe-
ctio, quæ altæ argumentum mentis, & præcipuæ virtutis
opus, gentibus miseris visa est, extirpatam hic voluisse
CHRISTUM, qui ipse vestigia mansuetudinis, lenitatis,
amoris ea expressit, quæ persequi, pios decet, ut contra
usum quotidianum male meritis gratiam referant, odii, ira-
rumque causis procul habitis. Non nego, iram esse *pas-*
sionem homini naturalem, ut i. δῆμα hic loquitur, i. e. Φύ-
γεως, sed odium *fratrum* est passio *hominis naturalis*, θε-
σαρπὸς corruptæ, quæ interdicitur. Maleque *idem* Ephel.
IV, 26. huc trahit, non enim docet Apostolus, laudabilem
iram esse, & moderatam non peccare *contra mores*; sed
contrarium docet, qui Ephesios admonet: „si forte a *pecca-*
„*to inhabitante, & veteri homine*, ad iram auferamini,
„ut concupiscentiæ irascibiles ortu facillimæ sunt, ad quas
„subinde pellicimur, operam date, ut novus homo, virtute
„Spir. S. prædictus, compiuit iram, & cupiditates eradi-
„cet, ne in peccata incidatis, quia *iræ indulgere*, peccatum

„gravissimum est.. Idque v. seq. probat Paulus: ὅποις δα
enim, idem est, ac injurias illatas forte a *fratre* persequi
velle, & ulcisci, easdemque propulsare sive verbis, sive fa-
ctis. Unde quæ de laudabili Mosis, Pinehæ, CHRISTI,
Pauli, optimi ejusque ira hic a nonnullis dicuntur, απόστολοι
sunt, & ab hoc loco aliena, forte vellent, eodem
versu post εγνώ & μωρό pariter ponit illud: Ευηνή, quod, si
commoda accedit explicatio, idoneum habere posset sen-
tium. Ut vero communi consensu simpliciter dixit CHRISTUS:
Wer zu seinem Bruder saget Racha, ita non minus
rotunde, & aperte: Wer mit seinem Bruder zürnet. Ad-
mittat per me interpretamentum illud, temere, ceu lectio-
nem genuinam, qui voluerit, ego vehementer dubito, prae-
cipue, cum 3) JUSTINUS MARTYR *Apol.* 2. (nam epi-
stola ad Zenani, & Serenum, quam GROTIUS allegat,
non JUSTINI, sed recentioris scriptoris foetus est) TER-
TULLIANUS in *Apolog.* adv. gentes c. 45. IRENÆUS
L. IV, cap. 28. vocem rejiciant, quorum ille ita scribit:
Dominus pro eo, quod est: Non machaberis, nec concu-
biscere præcepit, & pro eo quod est, non occides, ne
irascaris quidem. Hic vero: *Quid pleniū, dicere:*
Non occides? an docere, ne irascaris quidem? quid
perfectius, prohibere adulterium, an etiam ab oculorum
solitaria concupiscentia arcere? 4) accedit auctoritas
versionis *Italicæ*, de qua HIERONYMUS l. c. Cod. VA-
TICANI, qui non habet, teste LUCA BRUGENSI, nec non
aliorum Cod. ap. MILLIUM. 5) Syrus an vocem legerit,
incertum est, quam non interpretatur, a Codd. Syris mul-
tis abest, in editis habetur: *Aiki.* Quæ ipsa Græcorum vox
est,

est, non propter *emphasim*, quæ hic nulla est, adservata, ut GROTIUS suspicatur, a MILLIO bene refutatus *Prol.* p. 130. b. Sed, quia suspecta videbatur, forte in marginem rejecta, ac tandem in textum recepta. Perinde vero esse videtur, sive dicas, illud *τινῶν* scholion satis vetustum esse, sive cum MILLIO affirmes: *Habebat initio Syrus ad fidem Codicis, quem secutus est, antiquissimi. Quicunque irascitur fratri suo, sine ulteriori addito. Incidens postea quispiam in hanc pericopen, & mutilam existimans, arrepto calamo locum ex Græcis suis supplevit, inserto: aiki.* Sed satis multa de hoc loco.

Matth. XXVI, 67. Etliche aber schlügen ihn ins Angesicht. Postrema duo verba in nullo exemplari Græco occurunt, solius vulgati auctoritate adjicit LUTHERUS, nihilque absurdi fecit, nam *Vulg.* vim vocis *ἐπάπονας* assecutus est, ut docet HEINSIUS *Exercit. Sacr.* ad h. l. Idem Jo. XVIII, v. 22. *ἴδως εὔπονα* reddidit: *dedit alapam*, quem imitatus LUTHERUS: Er gab einen Backen-Streich. BEZA contra: *bacillo cecidit*. PISCATOR: Er gab einen Gerten-Streich. REIZIUS vero: einen Stock-Schlag. Prior interpretatio præferenda, hanc enim Nonnus confirmat:

τολμεῖς πυλάμης γεδέντι ἐπάπονες παρεντοί. i. e.

Agrestis vir audaci manu divinam percussit malam. Qui sine dubio melius intellexit, quid JOANNES dixerit, quam BEZA, & REIZIUS.

Ex Marc. XII, 4. clarius indicium consilii, quo LUTHERUS interpres usus est, elici, ni fallor, potest. LUTHERUS Græcum perfecte reddidit, idiotismis servatis, & Vul-

gato anteposuit, omittenti λιθοβολησαντες, sed cum Vulgatus significationem vocis *ἰντραίωσαν* docte consecutus videatur, vertendo: *Caput vulnerarunt*, nostro loquendi modo convenienter, & Vulgato congrue expressit: *zerworsen sie ihm den Kopf*. Hæc ex magna exemplorum copia, quæ in promptu sunt, selecta sufficiant, ex quibus constare potest, non discedere a Vetere interprete LUTHERUM, nisi ubi necesse erat, & sensu incolumi retineri non poterat. Unde megalander EMSERUM, ECKIUM, aliosque, qui Vulgatum Germanice converterunt, plagii commissi postulare jure poterat, ipse vero, quam honorifice de veteri versione judicaverit, ex *Præf.* colligi potest, Latinæ N.T. versioni, antea laudatæ, præmissa. Cujus existimationem imminuerunt Patres Tridentini, dum augere voluerunt, facto decreto *Sess. IV. Can. 2.* Non minus enim honorem alterius violent, qui de vera laude detrahunt, quam qui falsam, & alienam affingunt. Hinc tantæ inter Romanenses circa sensum hujus decreti dissensiones ortæ, bellumque tum de sensu vocis *authentica*, quæ septem diversis modis explicatur, tum vocabuli *auctoritatis summæ* a fratribus Cadmeis adhuc geritur. Absurdissimi sine dubio sunt, HAR-DUINI similes, *Vulg. vers. eadem*, dicentis, *habenda est fides, - atque ipsi exemplari, si ad:isset, scriptoris 900-915 manu exarato. Chronol. p. 3.* Ut eruditione, ita prudenter imperitæ multitudini antecellunt ex Pontificiis, NIC. ZELLERUS, LUC. BRUGENSIS, DRIEDO, ISIDORUS CLARIUS, CAJETANUS, alii non ita multi, qui multos errores non tantum librariorum, sed etiam interpretis, vel interpretum potius (est enim mirifice interpolata, & a variis varie immutata,) adhuc post SIXTI, & CLEMENTIS emen-

emendationes in V. V. superesse, ingenue profitentur. Videantur N. ZEGERI *Castigationes in N. T. Colon.* edit. an. 1555. & BRVGENSIS doctissimæ, & bonæ frugis plenæ *notationes in S. Biblia*, ed. an. 1580. Antwerp. nec non ejusdem alii libri, huc pertinentes, satis noti. Tanta vis veritatis esse solet, ut invitis etiam commendabilis sit, idque inse expertus est ROB. BELLARMINVS, ubi de *Verbo DEI* L. II, c. 10. negat, *Concilium Vulgatam fontibus præposuisse*, dicitque, his auctoritatem *authenticam* relinquī, vulgatam tantum *reliquis Latinis versionibus* anteferri, sed si fontes, ut ait BELLARMINUS, authenticī sunt, i. e. *Geōn̄us*, & *divinæ auctoritatis*, qui ex se fidem faciant, Vulgata versio vero *authentica* est per decretum Synodi, sancti erunt barbarismi *vers. Vulg.* & *Geōn̄us* manifesti errores, quos ipse agnoscit. Ita duos *authenticos* textus habemus, & tales quidem, qui inter se pugnant, id enim in pluribus locis fieri, CLEMENS VIII. in *diplomate*, quod editioni Codicis Latini, a se emendati, præmisit, fateatur, ita, ut in scholis loquimur, *duo contradictoria poterunt simul esse vera*. vid. THOM. JAMESIUM in *Bello papali*, & SIXT. AMAMAM *Antibarb.* L. I, c. 8. Utivero magnum, & impudens est mendacium, ubi idem de *Ver. DEI* L. II, c. 10. ab *init. Lutherani*, inquit, *volunt solam Lutheri versionem esse authenticam*, ita injuria Lutheranis interfertur, quando Vulgatum contemnere dicuntur, huic enim LVTHERV S eum honorem detulit, qui versioni debebatur, ut ex MATTHESIO, cui vita, quam LVTHERV duxit, interior patuit, constat, testante, Vulgatam cum fontibus

tibus b. virum semper in promptu habuisse, & contulisse. Nos etiam *Vulgatum interpretem plurimi facimus, doctissimumque virum fuisse judicamus, et si suos habeat nævos, & suos barbarismos, ut GROTHI, & LVD. de DIEV verba in Praef. ad V. T. & Proleg. ad *notas in Evangelium.* repetamus, nos fidem, & diligentiam interpretis Latinī admiramur, ubi congruit cum fontibus, novimus autem, nullam tam felicem interpretationem unquam fore, ut non aliqua occurrant sphalmata, judice MELANCHTHONE ap. FRANZIVM l. c. p. 33. & inter jam factas nullam carere suis nævis, quibus Latinus in primis inquinatus est.*

§. XVI.

Ita consilium, quo in interpretatione sua usus est L. aperui, & codices monstravi, in subsidium vocatos, certaque ac indubia hujus cause indicia attuli, quam cognoscant judices, peto. Si periti sunt, & æqui, ALDVM, & ERASMVM, pronunciabunt, duces fuisse interpretis, si boni, non patientur, ut gratia publica, ex præstantissima versione a LVTHERO collecta, a quopiam profundatur, si moderati, duiores enim & asperiores in cl. *conjectorem,* nolim, sedere, veniam inanis conjecturæ facile dabunt. Quæ quam vana sit, suo ipse LVTHERVS testimonio lectorem docebit T. I. *Epistolarum* n. CCIV. Ibi enim ad JO. LANGIVM, fratrem AVGVSTINIANVM, & Ecclesiasten Erfurtensem, ita scribit: *Tu in Comitiis (Wormatiensibus) futurus, vide, ut Evangelii partes foveas, defendas. Ego hic (Vitebergæ) latebo usque ad Pascha. Interim Postillas conscri-*

conscriptam, novum Testamentum vernacul'a donaturus,
quam rem fugillant (ita lacunam recte supplent nonnulli)
nostri: in qua & te audio laborare, perge, ut cepisti.
Utinam -- N. T. omnium lingua, manu, oculis, cordibus
versaretur &c. Scripta est epistola an. 1520, quo Gerbelii
exemplar nondum publicatum fuit. Cum vero Cl. ECK-
HARDO non latere poscit, ad Græcos Codices suam con-
fessisse interpretationem LUTHERUM, alios, oportet, ha-
buerit a Gerbeliano, scilicet ALDINUM, & FROBENIA-
NOS. Præterea non dubito, quin, hac LUTHERI episto-
la admonitus, idem emendaturus sit verba, p. 26. *Conject.*
injuste dicta: *In patni solitudine atque otio fortasse no-
va Gerbelii editione invitatus, consilium cepit adornan-
di interpretationem N.T. vernaculo sermone.* Non per-
tinet b. L. ad imitatores, *servum pecus*, nec svasore, & im-
pulsore laborum, pro rep. christiana suscipiendorum, indi-
guit, nec eo cordis stupore laboravit, ut utilissimos ALDI, &
ERASMI libros, præcipua doctrinæ purioris provehendæ
adjumenta, negligeret, ac tandem a Gerbelio expectaret.
Sua invitatus pietate, prolixaque voluntate, bene de omni-
bus merendi, instinctus, in eas cogitationes ingressus est, an-
te quidem, quam vel Gerbelii editio prodiret, vel JO. LAN-
GII, qui vero efficacius invitare poterat, institutum orbi in-
notesceret, qui, LUTHERI amantissimus, studiosissimusque,
vir, Matthæi Evangelium interpretatus est. Prodiit liber for-
ma quarta, titulus is est: *Das heilige Evangelium Matthei
aus NB. Krichser Sprachen, und biszweilen NB. aus des
hochgelehrten Erasmi von Roterdam translacion, und durch
den wirdigen Doctor Johannem Langum von Erfurt
Augustiner-Ordens yns Deutsch gebracht, welches zu NB.*

Götlicher Beschirmung der Warheit, und den warhaftigen christlichen Nutz und Seligkeit zu yres Lebens Besserung geschehen ist. An. MDXXI. In fine exstat epistola an Herman von Hoff zu Erfurt Hauptmann, scripta am Abent Johannis des Täufers. 1521. Recenset librum D. ZELTNERUS l.c. p. 112. quem plenius enotabo in *Examine Versionum Germanicarum N. T.* imprimis TRILLERI. Nunc vero dicendi finem facio verbis CICERONIS: *Sustinenda est omnis assensio*, si quid forte amicus nobis confirmat, & persuadere vult, ne præcipitet, si temere proceſſeris.

Additamentum §. V.

Proœmia Evangelii præmissa, & quæ Epistolis præfixit argumenta, nec non *ὑπερηφανίας* ad calcem Paulinarum, ab ERASMO accepit Gerbelius, eaque omnia secundum Basileensem ita informavit, ut nec hic novi quicquam, & a superioribus edit. diversum deprehendam. Evangelio Matthæi præmittitur *Præfatio THEOPHYLACTI*, & vita MATTHÆI ex SOPHRONIO, illam ex *Commentariis THEOPHYL.* hanc ex HIERONYMO, ejusque interprete, SOPHRONIO jam sua in editione publicaverat ERASMUS. Reliquis Evangelistis ex Dorotheo, (non vero Diodoro, ut in *Conject. scribitur*) præfationes inscriptæ sunt, quæ quidem in *Frobeniana I.* (in secunda enim ERASMUS omisit fabulosas Dorothei commentationes, & argumenta ex *THEOPHYLACTO* præmisit) & *Aldina* extabant. Ne vero magnitudo libri ex cresceret, reliqua proœmia, quibus ERASMUS vitas, & libros Evangelistarum explicuerat, nec non *τιχομετρία*, indicem librorum


rum N. T. & majorum *αιφελαιων*, in quæ olim divisa erant Evangelia, resecuit Gerbelius, & omisit. Imo epistolam Eusebii ad Carpianum, cum X Tabulis canonis Eusebiani, quæ singulare ornamentum sunt FROBENIANÆ II, & in reliquis ERASMICIS frequenter comparent, plane neglexit, sive quod usum *tabularum* non intelligeret Gerbelius, sive quod ANSELMUS, Typographus, sumtus erogare nolle, in illis artificiose depingendis. Textui Evangeliorum ipsi nec *lemmata* præscripsit, nec *numeris αιφελαιων* majora distinxit, nec *divisiones Ammonianas*, cum Tabulis Eusebianis collatas, annotavit, quæ omnia non sine animi voluptate in Froben. leguntur. Adibus Apost. præmiserat ERASMUS ex MSC. *Αποδημιανη παναγια, peregrinationem Pauli*, incerti auctoris, & *martyrium Pauli A.* ex Oecumenio. Utrumque fragmentum deest in Hagenoensi. Epistolis præfiguntur *imtheorei*, i. e. *argumenta*, quorum auctor Oecumenius, ut hujus in *epistolas* commentationes legenti statim innotescit. Exstant hæc *argumenta*, in Frobeniana utraque, & Aldina. Quæ omnem dubitationem cl. E. tollere poterunt, & emendare conjecturas, hæsi-tationis plenas, p. 14. ac in primis verba: *Num ex codice MSC. argumenta epistolarum deponserit, an ipse conficerit, non habeo dicere, &c. ιταγιαφαι*, Paulinis subjecta, Euthalium auctorem agnoscunt, quæ in editis vulgo leguntur, etsi sint exiguae auctoritatis. Hæc satis fidei facere possunt, vere scripsisse Gerbelium: *Secundum Frobenii, Aldique editionem, non ex Codd. suam esse adornatam.* Extant ea verba in calce N. T. p. 279. ex qua reli-

qua etiam, quæ antecedunt, nunc apponam: *Mendas*, inquit Gerb. *qaibus visum fuit offendit lectorem neophytum neque adeo maturum, ad calcem, ut vides, subnotavimus. Reliquas minimi negotii, ut sunt puncti distinctivi, accentus, ac spiritus, aliquando perperam locati, nos in castigando non tam SEVERI, AC RELIGIOSI pio Lectori ad emendandum reliquimus. Hoc unum promittentes, nullam dictiunculam -- postularet. Sed falso lit lectorem Gerbelius, qui nec ex omnibus N.T. libris errata typogr. expunxit, nec ex IV Evang. & Act. Apost. in quibus solis maculas delevit, nævos fœdiiores, pulchrum deformantes corpus, sustulit. Ita e. c. Luc. XVI, 13. δύον pro δυσὶ v. 21. ψυχίων pro ψυχίσι v. 26. μὴ δὲ pro μηδὲ. c. XVII, 3. θεοτέχναις pro θεοτέχναις v. 27. ἀρχι pro ἀρχῃ. v. 31. ἄρει αὐτῷ duplii vitio. Act. I, 21. ἐφ' ὑμᾶς pro ἐμαῖς (similiter permutatione literarum η & υ innumeris locis hic peccatum est) c. II, 1. ἡμέραis pro ἡμέραις. v. 26. ἐνθάνθη pro ἐνθάνθη. Quas mendas nemo, opinor, *minimi negotii esse*, credet, his enim sensus pervertitur, & textus corrumpitur. In *Epistolis* & *Apocal.* graviora menda supersunt, aliis vocibus omisis, aliis corrupte descriptis, in quibus emendandis utinam *severior*, & *religiosior* fuisset Gerbelius. Quæ errata si lector pro æquitate sua vel absentia editoris, Argentorati commorantis, cum N. T. Hagenoæ formis excuderetur, vel nimis festinationi THOMÆ ANSELMI, Badensis, tribuere velit, non reclamabo, res enim se ita habere, videtur.*

T A N T V M !

[http://purl.uni-rostock.de/
rosdok/ppn821386794/phys_0078](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn821386794/phys_0078)





DE CODICE GRÆCO N. T.

63

nes in V. V. superesse, ingenue profitentur. VI-
ZEGERI *Castigationes in N. T. Colon.* edit.
BRVGENSIS doctissimæ, & bonæ frugis plenæ
in *S. Biblia*, ed. an. 1580. Antwerp. nec non e juri,
huc pertinentes, satis noti. Tanta vis veri-
let, ut invitatis etiam commendabilis sit, idque in
s est ROB. BELLARMINVS, ubi de *Verbo*
c. 10. negat, *Concilium Vulgatam fontibus*
& dicitque, his auctoritatem *authenticam* relin-
am tantum *reliquis Latinis versionibus* ante-
fontes, ut ait BELLARMINUS, authentici sunt,
& *divinæ auctoritatis*, qui ex se fidem fa-
tata versio vero *authentica* est per decretum Sy-
i erunt barbarismi *vers. Vulg.* & *Septuagintas* ma-
res, quos ipse agnoscit. Ita duos *authenticos*
emus, & tales quidem, qui inter se pugnant, id
uribus locis fieri, CLEMENS VIII. in *diplomate*,
oni Codicis Latini, a se emendati, præmisit, fate-
in scholis loquimur, *duo contradictoria poten-*
te esse vera. vid. THOM. JAMESIUM in *Bello*
SIXT. AMAMAM *Antibarb.* L. I, c. 8. Ut vero
& impudens est mendacium, ubi idem de *Ver. DEL*
ab init. *Lutherani*, inquit, *volunt solam Luther-*
em esse authenticam, ita injuria Lutheranis in-
ando *Vulgatum contemnere dicuntur*, huic enim
RVS eum honorem detulit, qui versioni debeba-
& MATTHESIO, cui vita, quam LVTHERVS
erior patuit, constat, testante, *Vulgatam cum fon-*
tibus